EX
JOHANNIS MESSENII

SCONDIA ILLUSTRATA,

TOMUS X.

Seu

CHRONOLOGIA DE REBUS VENEDA-RUM BOREALIUM,

ad Scondiam jure pertinentium,

ſcilicet

FINNONUM, LIVONUM, ET CURLANDORUM,

ab ipſo fermè orbis diluvio,

ad annum CHRISTI M DC XXVIII.

geſtis.



STOCKHOLMIÆ,

Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M.DCCIII.

PROGRAMMA.

ADſis Finno, Livoque, Semigalle,
Queis ortum populoſa Venedarum
Gens donaverat, hactenus tenebris
Plus quàm Cimmeriis diu latentes;
Poſthac ſed magè quàm meridianus
Sol lucebitis: Hancque claritatem
Iſto Meſſenius libro procurat,
Quo veſtras repetens migrationes,
Res geſtas ſimul, auſpicatur ipſo
Mox â diluvio, quod usque noſtrum
Perducit Chronicon fidelis ævum;
Ut ſit teſtis apud vetus nepotum
Seclum, carceris innocenter oris
Veſtris quem tolerat, videlicet ſub
Cajanenſibus, heu ſcelus! tyrannis
Bis novem miſer integros per annos.
Naſonis meminere ſic Scytharum
Gentes, quas apud exulabat inſons.
Vos hinc Meſſeniique, carcerisque
Æternum memores reor futuros.
Hos ergò facie, liber, ſerenâ
Accedas; Hilares capeſcitote
Vos illum, Livo, Finno, Semigalle;
Sed gratis animis, manuque totâ.

Generosis Amplissimisque Viris,
FINLANDIÆ, LIVONIÆ, & CURLANDIÆ,
GUBERNATORIBUS
ET
CASTELLANIS.
S. D.

IN *meo Cajanaburgi ergastulo*, generosi & magnifici Heroës, *dum plurimos intereà temporis sedulus volvo Historiographos, ex iis Scondianam compilando Chronologiam; simul etiam, non contemnenda vetustatis reperi fragmenta, documentaque, Finlandiam, Livoniam & Curlandiam, summoperè illustrantia. Atque cum illæ Dynastiæ nobilissimæ, Scondicorum subessent dominio regnorum, licet hæc illas peninsula non complecteretur, & nullo hactenus chronico, binæ illarum forent illustratæ, postquàm Scondico extremam operi manum imposuissem, non alienam quoque à proposito meo elucubrationem, historiæ Finnonicæ, Livonicæ, & Curlandicæ, depræhendi.*

Itaque vacantem inconditæ illi admoveram ferrugini dexteram, quam non ignaviter perlustravi, ordinavi, & indè sequentem concinnavi Chronologiam; Ita tamen, ut quæ potius monimenta deservire viderentur præfationi, prolegomena inter reponerem, inprimisque FINLANDIA *occurrit illustranda. Hanc Johannes Gothus, principio suæ historiæ, tali describit modo:* Finningia triquetra forma apparet, cujus unumquodque latus, continet CL. milliaria Gothica. Est in occidua parte Finlandiæ, duplex Finningia, aquilonaris & australis, illaque latè in septentrionem, circa maris Suecici littora, excurrit; Hæc autem diœcesin, & civitatem complectens Abogensem, in meridiana Finlandiæ littora extenditur: A cujus orientali latere, provincia Neolandiæ principium sumens, circa littora Venedici sinus, usque ad occidentales Moscovitarum limites, versus orientem porrigitur. Deindè occurrit Carelia, quæ â meridie habet sinum Venedicum, â quo per multa terrarum spacia, extenditur in septentrionem, usque ad Schyfinniam. *Hæc ille capite quinto Prolegomenorum. Verum Olaus, Johannis frater, in Proloquio libri tertii asseverat,* Finlandiam sub Ethnicismo fuisse regio decoratam axiomate, longam CCC. & latam LX. milliaribus. *Apud alios tamen invenio scriptores, plurimos inter regulos Finlandiam, pro numero provincia-*

rum, illo fuisse distributam tempore, particulariusque divisam; in Careliam, Tavastiam, Nylandiam, & Satagundiam, velut in quatuor amplissimos Ducatus. Deindè in Savolaciam, Bothniam orientalem, Alandiam, & Lappiam, tanquam paulò minores comitatus totidem.

Prætereà binos constat Finlandiam obtinere nomophylaces, seu judices provinciales, videlicet unum in australi, & alterum in Finlandia boreali; Nec pauciores, pro tempore, Antistites possidere; Abogensem nempè ac Wiburgensem, est manifestum. Qui præsulum numerus, nequaquam sanè respondet regionum amplitudini, longè plures flagitanti Superintendentes. Quod meum similiter est judicium, de Finlandiæ arcibus, quas septem duntaxat compræhendit, scilicet Wiburgensem, Abogensem, Nyslattensem, Tavastaburgensem, Rasborgensem, Cajanaborgensem, & Ulensem. Sicut etiam de urbibus Finlandiæ, quòd XI. solùm habeat in toto suo complexu; nimirum Wiburgum, Abogiam; quæ hodiè præcipua sunt Finlandiæ emporia; Raumum, Helsingforsium, Biornborgum, Nadendalam, Vasam, Nystadium, utramque Carlebygiam, & Ulam. Abundat siquidem Finlandia omnigenis mercibus quas prægrandi suo negotiatores lucro, indigenæ cum alienigenis, alibi locorum quoque possent sanè permutare. Insuper Finlandi, agros colunt feracissimos; nemora feris plenissima; mare, sinus, lacus, & fluvios, piscibus refertissima, adeò ut incolas, accolas & advenas, illorum regio vastissima, fertilissimaque, sufficienter, nec non excellenter, valeret sustentare, atque peregrina invitare mercimonia,

Proximum sibi locum illustrationis vendicat Livonia, *quod nominis vocabulum â Livone quodam, seu Libone, consecuta est, veteri domino, & profugo ex Italia, heroë nobilissimo. Continet porrò Livonia, Curlandiæ adjuncta, velut parti non minimæ, CXX. milliaria in longitudine, & XL. in latitudine. Ac licet hodierna loquendi, & scribendi consvetudo, Curlandiam â Livonia perperàm distingnat; Eum tamen scribendi morem sum ego amplexus in chronologiæ hujus inscriptione, tanquam magis hoc tempore usitatum. Sed vera & legitima, censetur Livoniæ divisio, in primarias tres provincias; scilicet Estoniam; Lethlandiam; & Curlandiam; Quarum singulæ quondam peculiarem habuêre regulum, sicut archivum vetustatis non obscurè testatur, illorumque potissimus fuit rex, Estoniæ, quam nobis anno Christi MLX. ità descriptam reliquit, M. Adamus Bremensis:* Prætereà recitatum est nobis, alias plures insulas in eodem ponto esse, quarum una grandis Estland dicitur, non minor illâ de qua prius dixi; ubi Deum Christianorum incolæ prorsùs ignorant, dracones adorant cum volucribus, quibus etiam vivos litant homines; Quos â mercatoribus emunt, diligenter omninò probatos, nè maculam in corporibus habeant, pro qua refutari dicuntur à draconibus. *Hactenus M. Adamus.*

Subdividitur Estonia in quasdam non parvas ditiones, ut sunt,

Har-

Harrigia, *Wirlandia*, *Alentachia*, *Waydelia*, *Jervia*, *Vichia*, *Odenpe*, *insulasque admodum insignes*, *quales Osilia*, *Dagedonia*, *Mone*, *Wormbögia*, *Wrangögia*, *Chyenia*, *&* *Wodesholmia. Quæ amplissima Esthoniæ territoria*, *&* *non minora*, *quam comitatus*, *alibi terrarum*, *haud paucas ostentat urbes*, *&* *arces. Siquidem primò in Harrigia prostant*; *Revalia*, *Fegfyrium*, *&* *Padisum. In Wirlandia*; *Wesenbergum*, *Tolsbergum*, *Borcholmium. In Alentachia*; *Narvia*, *Nyslottia. In Jervia*; *Huitenstenum*, *Laysum*, *Overpolia*, *Felinum*, *Tarvesium*, *Charxum. In Vichia*; *Lealia*, *Lodium*, *Habsalia*, *Fichelium*, *Parnovia. In Odenpe*, *Derpatum*, *Warnebechia*, *Chirienpolia*, *Oldendornia*, *Helmodia*, *Ringen*, *&* *Randen. In Osilia denique*; *Arensborgum*, *&* *Sonnenborgum.*

Cæterum altera Livoniæ provincia est Lethlandia, *cujus inhabitatores adeò habent idioma diversum*, *à Curlandis*, *&* *Esthonibus*, *ut illi horum non intelligant sermonem. Possident autem Lethlandi*, *XXXVIII. civitates*, *&* *munitiones*, *nempe*; *Rigam*, *Cochenhusium*, *Dynemyndiam*, *Vendam*, *Volmariam*, *Lennevartiam*, *Nymöliam*, *Chercholmiam*, *Dalen*, *Yxchuliam*, *Ronnenborgum*, *Sosvechiam*, *Segervaldiam*, *Ascheradiam*, *Sexmilten*, *Treyden*, *Chremoniam*, *Lempseliam*, *Selsborgum*, *Marienborgum*, *Dunenborgum*, *Schvanenborgum*, *Frouvenborgum*, *Lutzen*, *Rositen*, *Marienhusen*, *Jurgensborgum*, *Rope*, *Buthnicum*, *Trichaten*, *Ruigen*, *Purcheliam*, *Ermis*, *Barsson*, *Hogrosen*, *Moyan*, *Erle &* *Chalsenoviam.*

Verum tertia Livoniæ provincia, *est* CURLANDIA, *de qua præfatus sic quoque loquitur Adamus:* Sed & aliæ interius sunt insulæ, quæ Sueonum imperio subjacent, quarum maxima est illa quæ Curland dicitur, iter octo dierum habens; Gens crudelissima, propter nimium idolatriæ cultum fugitur ab omnibus; Aurum ibi plurimum; equi optimi; divinis auguribus atque necromanticis, omnes sunt domus plenæ; Qui etiam vestitu monachorum induti sunt; & toto ibi orbe responsa petuntur, maxime ab Hispanis, & Græcis. Hanc insulam in vita S. Ansgarii, Chori nominatam credimus; quam tunc Sueones tributo subjecerunt, unaque tum facta est illic Ecclesia, cujusdam studio mercatoris, quem rex Sueorum multis ad hoc illexit muneribus. *Compræhendit verò in se Curlandia*, *Semigalliam*, *&* *incolas non habet homoglottas*, *cum non modò in ea Estonico utantur sermone*; *ast etiam Lithuanico passim ditionum. Quam separat à Lethlandia*, *fluvius Dyna*, *sequentiaque incolunt Curlandi oppida*, *&* *arces: Mythoviam*, *Chendoviam*, *Goldingiam*, *Dobbeliniam*, *Durbeniam*, *Windoniam*, *Tucheniam*, *Nyhusium*, *Talseniam*, *Grubiniam*, *Pilsium*, *Angermundiam*, *Dondangeniam*, *Amboteniam*, *Hausenpoteniam*, *&* *Bauschenburgum.*

Quod ad Livoniæ spectat situm, *habet illa Russiam ab oriente*; *Lithuaniam & Prussiam à meridie*; *mare Balthicum ab occidente*; *ac Finlandiam à septentrione. Præterea lacus in Livonia multi non ignobiles*

biles ſpectantur, quorum duo ſunt primarii, Peybes, & Forsierſvium. Ille XIV. longus eſt milliaria, latus VII. dirimitque Livoniam à Ruſſia, in quem LXXII. labuntur aliundè flumina, eorumque unum ſe exonerat in mare orientale, inter utramque Narviam. Hic VII. excurrit per milliaria, & duo in latitudine ſolum obtinet. Atqui omnium in Livonia fluminum, nomen ſibi præcipuum vendicat meritò Dyna, utpote, qui non minor Albi, cum tumultuoſo valdè impetu deſcendens ex Ruſſia, & Rigam præterlabens, ibi mare ingreditur Scondicum, ſeu Venedicum.

Neque tantum piſcibus abundat Livonia, ſed etiam melle, canabe, lino, lupulo, frumento, armento, feris & avibus, in tanta profectò copia, ut ſimilem vix habeat mundus regionem. Atque propter eam mercium abundantiam, prægrandis mercatorum ex omnibus fermè Chriſtiani orbis regionibus, fiebat quotannis in Livoniam concurſus; Præcipuè tamen ex Ruſſia, cujus incolæ, aliorumque regnorum, potiſſimum Revaliæ, & Rigæ, negotiabantur, indeque celeberrimæ quondam fuerant illæ binæ urbes in ponto Balthico emporia. Quo etiam tempore Livonia, Dominos habuit Magiſtrum Crucigerorum, qui Vendæ plerumque reſedit; Archiepiſcopum Rigenſem, qui Cochenhuſiæ; Epiſcopum Derpatenſem, qui caſtrum incoluit ibidem; Præſulem Oſelienſem, qui morabatur in Arensburgo; Antiſtitem Curlandiæ, qui in Pilſio; & Revalienſem Epiſcopum, qui in Borcholmio Virlandiæ, ſuam obtinuit manſionem.

Cæterum poſt admiſſam in Livonia novationem religionis, de illius dominio, non ſecus ac de pomo æridos, concertarunt hactenus, Suecus, Danus, Polonus, & Moſchus, non modico miſerrimorum incolarum cum detrimento, ſicut Chronicon ſequens abundè conteſtatur. Quod his de cauſis, Viri Ampliſſimi, *Vobis inſcribendum duxi. Inprimis propter magnam amicitiam cum plerisque Veſtrum olim inſtitutam; & præſertim cum prænobili & generoſo viro, Domino Philippo Scheding, à Knuda &c. Caſtellano Revalienſi ampliſſimo; ſicut etiam, quod ſocer meus chariſſimus, doctrina & nobilitate inſignis, Dominus Arnoldus Grothuſen, ſereniſſimi, & potentiſſimi Principis, Domini Sigismundi III. quondam Sueciæ, & Poloniæ regis digniſſimi, meritò Præceptor, in veſtro natus fuerit dominio, non ſolum; ſed etiam conjux mea integerrima, in Eſthonia quoque fuerit genita. Itaque præfatis motus cauſis, præſentem Chronologiæ Livonicæ librum,* Veſtris N. & Amplitudinibus, *amicè dedico, & inſcribo, obnixè obſecrans, ut illum benigno acceptetis animo, valeatisque quam rectiſſimè. Datum Cajaneburgi, Calendis Januarii, anno MDCXXXVI.*

V. N. N. & A. A.

addictiſſimus

Johannes Meſſenius.

CHRONOLOGIA FINLANDIÆ, LIVONIÆ, ET CURLANDIÆ.

ANno, poſt orbis diluvium, CLVI. Thuiſcon, IV. Noæ filius, imperium nactus â Tanai, ad Rhenum, & ab Adula monte, ad Meſambriam Ponticam, eò cum ſuis, & fratrum liberis migravit. 156.

CXCIII. Thuiſcon primos in Scondiam transmiſit Colonos. 193.

CCLIII. Populis in utroque regno, ſcilicet occidentalibus, & orientalibus, leges, & literas tradidit. 253.

CCCVI. Thuiſcon morte ſublatus, & Deos inter relatus, Mannum in regno nanciſcitur occidentali ſucceſſorem. 306.

In orientali autem ſubrogatus Sarmatas, qui ex Semi fuit genitus trinepote, illud de ſuo appellavit nomine, Sarmatiam.

Porrò tres fuerant Sarmatarum nationes; Slavi, Antes, & Venedæ, horumque duntaxat propoſui contexere Chronologiam.

Venedæ juxta ſiniſtrum latus montium, Europæam ab Aſiatica diſterminantium Sarmatiam, populoſiſſimi primùm conſedere.

Cæterum Scondii nimium hactenus multiplicati, primam effuderunt orientem verſus, coloniam.

Qui populus, non minus dein auctus, omne illud ſecus littora maris Baltici, vaſtiſſimum terræ ſpacium, quod eſt inter Torne Norrebotnicum, & Saxoniam, ex oppoſitu Scondiæ, occupavit, dictus poſteà Vandalicus.

Forniotus, circa ſextum, ante Chriſtum, ſeculum, borealibus dominatur Vandalis. 600.

Karus illius filius, & â morte pro ventorum cultus Deo, iisdem imperat.

Similiter rex Froſto, Kari filius, in Vandalia boreali, rerum potitur.

Altera hoc tempore gentium turma per eandem egreſſa viam ex Scondia, pulſis ex Oſtrobotnia Vandalis, illam ſuis tradit uxoribus inhabitandam, inde *Quenland* Scondicè, & Latinè, Terra Fœminarum,

Amazonumque, diu nuncupatam. Sed viri talibus liberi impedimentis, Russiam felicius impugnarunt.

Hoc circa tempus, regnat in Scondia, Quenlandia, & Vandalia, rex Snore, annosus.

Rex Snore, Thoroni filiorum uni, tradidit moriens Sveciam, Gothiam, Norvegiam, Quenlandiam, & Vandaliam.

Dano autem, alteri filiorum, Vitasletiam (quæ â novo dicta fuit rege, Dania) prius Snore subjugavit. Quandò fratrum tertius, Angul, Holsatiam adeptus, Anguliam de se nominavit.

Quenlandenses, Diis post obitum Thoroni adscripto, quintum hebdomadæ diem, & primum anni mensem, dicarunt, de ipso appellatos, ut secundus â filia *Göia*, inter Deas etiam relata.

Nore parenti successit in Norvegia, Quenlandia, & Vandalia boreali.

60. Circa LX. ante Christum annum, famosus ille Othinus, ex minori pulsus â Romanis Phrygia, Scondiam versus, quod foret indè oriundus, cum multis contendit populis.

Othinus Venedarum operâ commilitonum, totâ potitus Sarmatiâ Europæâ, omnem Vandalorum ditionem, indè modò expulsorum, illis assignavit incolendam, â novisque mare accolis vocatum est dein Sinus Venedicus.

Sed pro locorum diversitate, quidam posteà Venedarum, Saxones, Megapolenses; quidam Pomerani, Cassubii, Pruteni; alii Lithuani, Samogitæ; reliqui Curetes, Livones, Finni, & Lappones, fuerunt nuncupati, in arte nimium excellentes magica, quam ab Othino, illius peritissimo, fortassis didicerunt.

24. XXIV. Priusquam Christus nasceretur, anno, Scondiam Othinus, velut patriam avitam, armis recuperans, non minus, quam prius Thuiscon, possedit imperium.

An. Christ. Anno post diluvium, MMCCCIII. Christus Dei filius, pro hominum salute, homo fieri dignatus est.

Tantæ ignari gratiæ, prô dolor, Venedæ, solem, lunam, serpentes, & ignem, pro Deo adorarunt.

75. LXXV. Christi anno florens Plinius, Venelandiam, Scondiâ non minorem esse, immò magnitudinis incompertæ, affirmat.

100. C. Circa annum, Sumblus Venedarum rex borealium, promissâ Gramo Scondiæ domino, filiâ Signe, illum Venelandiæ inhiantem, sibi reddit amicum.

Gramus Signem inaudiens, Henrico Saxonum regi desponsatam, occiso in nuptiis corrivali, & illâ in Daniam abductâ, suscepit ex ipsa Hadingum.

130. Circa CXXX. humanæ salutis annum, Hadingus, Daniæ rex, Locherum, Curlandiæ Satrapam, impugnat, ab eoque captus, non facilè liberatur.

160. Circa CLX, Christi annum, Dornus Curetum similiter regulus, â Frotone Danorum rege, per insigne vincitur stratagema.

189. Circa CLXXXIX. Cuso, Venelandiæ dominator, ab Hothero persvasus Scondiæ monarcha, filiam elocat Thoram Helgoni, Norvegiæ regulo.

200. Circa CC. Roncus, rex totius Scondiæ, Curetes armis subjugavit.

300. Circa CCC. Christi seculum, factus est Dago, Estonum regulus, Frotoni Dano tributarius.

Item

Item Tengillus, Venelandiæ ſuppolaris, eponymus.

Curlandia ſimul, Frotoni Danorum regi, auſcultavit. Quæ, velut & reliqua borealis Venelandia, inter multos fuit regulos diſtributa.

Circa CCCXX. poſt Chriſti natalem annum, Ericus Sveonum dominus, beneficio Frotonis Dani, etiam in Venelandiæ Eſtia, & utraque Lappia, rerum potitur. 320.

CCCLXX. Chriſti anno, præpotens ille Gothorum rex, Hermenricus, ſuo addidit imperio ampliſſimo Eſtoniam, & Livoniam, Curlandiamque. 370.

Circa CDLVI. Chriſti annum, præcipui urbis Romanæ optimates, ut Attilæ tyrannidem evaderent, conſcenſis navibus, per mare in Venelandiam fortè depulſi, diu incolis tum ſubactis, dominabantur. 456.

Libo, illorum non poſtremus, fertiliorem Venelandiæ nactus borealis portionem, ex ſe nominat eam Liboniam, quæ appellatur hodiè Livonia.

Alius eorundem, Lithuaniâ ſibi ſubactâ, nobiliſſimæ, & antiquiſſimæ, Jagellonum familiæ, ibi hactenus, & in Polonia glorioſè admodum dominanti, dedit exordium.

Nonnullis ex iisdem, dubio procul, borealiorem Venelandiæ obtinens partem, de ipſa per ſe, & poſteros clariſſimos, cum Suecis & Ruthenis, tàm diu belligeravit, donec illam amiſerit.

Hæc priſcum ſola retinuit nominis vocabulum; progreſſu tamen temporis, valdè mutatum. Nam quæ inprimis Venedilandia, & Venelandia, fuit dicta; dein per ignaros antiquitatis, vocatur Fenlandia, & Finlandia, Finnoniaque.

Atque cum præfati fuerint Romani Chriſticolæ, reor Venedis, ſub illorum dominio, aliquam religionis ſcintillam Chriſtianæ, illuxiſſe; ſed poſteà extinctam omninò fuiſſe.

Circa CDLXX. Valander, Sueciæ rex, impugnat Finlandiam, & hujus filiam Principis nactus conjugem, Driſuam, ex illaque, Visburum, in throno dein ſucceſſorem, placatur. 470.

Quandò inclytus ille athleta, Starcaterus, non pauca fortitudinis ſpecimina, admirandæ apud Finnos, Livones, Curetes, & Ruthenos, edidit, Venedasque primus docuit, in repandis, ob nivium altitudinem, lignis ambulare.

Annum circa Chriſti, D. Rex Froſto, imperat Finlandis, & Schialvia illius filia, ab Augnio, Sueonum rege, patris ſui, patriæque oppreſſore, indè violenter abducta, ad nuptias, ipſum ſomno deditum, ubi nunc eſt Stockholmia, ſuſpendit, & domum profugit. 500.

DLX. Ablavius, & Jornandes, in ſuis faciunt hiſtoriis mentionem Schyfinnorum, eos hominum mitiſſimos appellando. 560.

Circa DC. Eſtones, & Curetes, Haquini Sueonum regis, velut domini, contra Danum ſequuntur militiam. 600.

Circa DCC. Inguardus, Sueciæ & Gothiæ rex, Venedas expugnare ſatagens, ab iis, commilitonesque trucidantur. 700.

Circa DCCCXVIII. Matullus, Finlandiæ regulus, opem ferens Biarmiis, adverſus Regnerum Danum, primò fit victor, dein victus, fugâ ſibi conſulit. 818.

Venni, ſeu Finni, ſimilem non rarò martis aleam experiuntur, cum Suecis, & Ruthenis, nunc jugo illorum ſubdentes colla, nunc illud excutientes, præter Carelos, qui Ruthenis patientius ſuccollarunt.

829. DCCCXXIX. S. Ansgarius, ex Corbegia Franciæ monachus, Schyfinnis, Sueciæ finitimis, Christum prædicavit.

835. DCCCXXXV. Ludovicus Cæsar, ex litteris Papæ lubens cognoscit, Finnis januam fidei esse patefactam. Quam tamen illis posteâ Sathanas, diu iterum occlusit.

850. Circa DCCCL. Olaus, Sueciæ rex, Venedas, bello illato, compulit ad subjectionem.

867. Circa DCCCLXVII. in Bothnia regnat occidentali, princeps Dumbus, â quo sinus olim fuit dictus, mare Dumbi; cui nupsit Miolla, Regis filia Quenlandici.

Barderus, filius, mortem vindicat patris, ab XVIII. occisi gigantibus, multis horum concrematis.

874. Circa DCCCLXXIV. idem ex Norvegia, ubi habitavit, pulsus ab Haraldo rege, & ideò cum familia migrans in Islandiam, vivens fuit insulæ eponymus, & post obitum ibi pro Numine cultus.

940. Circa DCCCCXL. Ingo, Sueciæ rex, Venedas sibi rebelles, armis compescere conans, ab iis trucidatur. Quos, filius dein Ericus, patri substitutus, ad obedientiam compulsos, ideò graviter mulctavit.

980. DCCCCLXXX. Ulodimirus, Dux Russiæ, uxorem nactus Cæsaris Græci sororem, cum ea simul dogma Christianum; Sed schismaticum amplectitur, & Rutheni cum Carelis, illi quoque subjectis.

985. DCCCCLXXXV. Ericus, Scondiæ monarcha, Venedas jugum excutere machinantes, illi cogit eos succollare.

1053. Circa MLIII. Quenlandiæ Amazones, ab Emundo, Sueonum rege, vehementer impugnatæ, veneficio filium illius, & exercitum aboleverunt universum.

Quibus cum Sueones per LXXX. deindè annos, & Finnonum reliquis, prius non cessant colluctari, quam illas extirpassent, & regionem sibi, Christoque subjugassent.

1060. MLX. Curetes monachali fermè habitu induti, adeò fuerant edocti genus omne artis magicæ, celebresque, ut Græci & Hispani, illos de rerum crebro consulerent eventibus.

Quandò mercator quidam, conditâ ibi Ecclesiâ, Curlandos frustra monet Christianæ religionis suscipiendæ.

Sicut etiam Estones, immolandis diabolo hominibus, nefandè invigilantes.

1070. MLXX. In Quenlandia, quam hodiè vulgus Cajaniam, & Ostrobothniam vocat imperitè, Amazones adhuc florent, teste M. Adamo, tum vivente, & illas describente.

1154. Circa MCLIV. Finni australes, quòd Christo, & Sueciæ essent regno infesti, ab Erico rege sancto expugnati, per S. Henricum lustrantur, Upsaliæ Præsulem.

Arx, circa id tempus, Abogensis, pro retinendis sub obedientia Finnis, & Ecclesia Rendamechensis, ibi prima, pro iisdem, velut neophytis, porrò in fide informandis, per Episcopum illic remansurum tantisper, ædificantur.

1155. Circa MCLV. quidam neophytorum, genere nobilis, *Lalle* dictus, ex villa Saris, impatiens pœnitentiæ, propter homicidium ab Episcopo impositæ, illum, XIX. Januarii, obvium in lacu Koiloierfuensi, trucidavit, indè IV. miliaribus humatum, Nousii.

Annulus Episcopi signatorius cum digito per Lallium abscisso, veris tempore in frusto glaciei proditus â corvo, invenitur.

In-

Insula fuit loco cædis modica, in qua temporis progressu, sacellum martyris construitur memoriæ; & domus pagi Ylistarensis, in qua ultimò pernoctavit, in aliud convertitur.

Circa MCLVI. Homicida, complicesque rebelles, pro meritis à Rege mulctantur. 1156.

Circa eundem, Copmannus, S. Henrico Upsaliæ subrogatus, cum successoribus, Ecclesiæ simul Finlandicæ, proprio carentis Episcopo, fidam agit curam.

Circa MCLVIII. Christiani ex Brema mercatores, ad Dynæ, in Oceanum se exonerantis ostia, præter suam, non divinam, depulsi intentionem, ab accolis, & Livonum reliquis, post graves utrinque lites, securam morandi, & eo imposterum portu, continenteque negotiandi, obtinent facultatem. 1158.

MCLXI. Mercatores Bremenses, & Lubecenses, promissis barbarorum meritò diffidentes, cum bona illorum venia, donis impetrata, propè Dynæ ostia, sibi firmum construunt propugnaculum, Yxkul dictum, & Dalense non procul indè postmodum. 1161.

MCLXVI. Archipræsul Bremensis, â negotiatoribus persvasus, Livones Christo lucrari desiderantibus, Meinardo, ex Segeberga monacho, viro admodum pio, & docto, illuc cum iisdem expedito, Livonum, pro veteri sua in boreales jurisdictione populos, demandat conversionem. 1166.

MCLXVIII. Quidam in Livonia optimatum, nomine Kobbius, per Meinardum conversus, plures consanguineorum, & amicorum, ad fidem unà pertraxit, Ethnicis frustrà ideò tumultuantibus, & admissorum in Livonia nuper Christianorum, serò pœnitentibus. 1168.

MCLXX. Kobbius cum multis Livonum Christianis, Romam profectus, ab Alexandro Pontifice non difficulter Meinardum, ibi præsentem, impetrat Episcopum Livoniæ primum, Bremensi, ceu metropolitano, auscultaturum Archipræsuli. 1170.

Circa MCLXXII. Rodolphus evadens primus Finlandiæ Antistes, Rendamechiæ, & VIII. successores, resederunt. 1172.

MCLXXXVI. Livones, quod foris domique Christianis essent infesti, â Dano impugnantur. 1186.

Atque Christicolæ Livones, conditâ ad Dynam Rigâ, & probè munitâ, ubi etiam Cathedra fuit Episcopi deposita, popularium gentilium non formidarunt incursiones.

MCXC. Ordo Theutonicorum militum Hierosolymæ institutus est, ut Terram Sanctam defenderet; fidem Christi restauraret, & peregrinos hospitio ibi susciperet. 1190.

MCXCI. Idem confirmatur â Cælestino Papa, XXII. Februarii, cujus evadit primus Magister, Henricus Valpot. Crucem nigram in pallio albo, velut ordinis insigne, ipsemet confratresque gestabant. 1191.

Circa MCXCII. Rodolphus, Finlandiæ præsul, â piratis perductus in Curlandiam, ibi martyrio coronatur. 1192.

Circa MCXCIII. Folquinus II. Finlandiæ fit Episcopus. 1193.

Circa eundem, Meinardus, Livoniæ primus Antistes, & apostolus, fessam pro Christo animam, felix exhalavit.

Circa MCXCIV. Christiani Livones, misso Bremam legato, alterum impetrant Episcopum, nomine Bartholdum, ex ordine Cisterciensi, velut & antecessor. 1194.

MCXCVI. Bartholdus, auxilio Regis Danici, cum exercitu ibi præsentis, sub Kakenhusio Paganos, CCC. Christianorum desideratis, profligavit. 1196.

Danus in Vichiam deindè conversus, incolis sibi, & Christo subjugatis, Ecclesias condidit, & sacerdotes præficit.

1197. Circa MCXCVII. Kobbius ex vulnere, in nupera contra Ethnicos pugna accepto, moritur.

1199. Circa MCXCIX. Bartholdus, non Rigam orditur condere, ut quidam malè sentiunt; Sed munitiorem molitur, ceu metropolim Livoniæ.

1203. MCCIII. Idem Ethnicis opus impedire conantibus, congressus, cum MC. occumbit Christianis, & hostium DC. suis tamen victoriam reportantibus.

1204. Circa MCCIV. Hartvicus, Archipræsul Bremensis, III. Livoniæ præficit Episcopum Albertum.

Ordo militum Christi, ab Innocentio III. instituitur, armis Livones, & finitimos gentiles, ad fidem compulsurus; quidquid iis eriperet ditionum, jugiter possessurus; simulque tertiam ex reditibus Episcopæ Rigensis portionem; & rubrum ensem cum stellula, pallio assutum, unde Gladifer cognominatus, gestaturus.

Idem Pontifex, voluntariis horum auxiliatoribus, cruce signandis, ceu pro Christo belligerantibus, amplissimas criminum indulgens condonationes, effecit, ut ex orbe Christiano, magnæ peregrinorum turmæ per sequens ævum, non sine grandi religionis in Livonia incremento, identidem ibi gratis militarent.

Circa eundem, Vinno, I. ordinis factus magister Gladiferi, cum Alberto præsule (cui, sicut & Adolpho, Holsatorum comiti, Bremensium ac Lubecensium, Senatui, filios Gladiferorum primos facienti etiam, hujus institutio ordinis est accepta, tanquam promotoribus, referenda) per annos XVIII. haud segniter suæ satisfacit professioni.

1207. Circa MCCVII. Præsul Albertus, collaboratore indigens, in Livoniæ vinea nunc uberiore, alteram Lealiæ condidit Episcopam, cujus primum agit antistitem Hermannus, Abbas Bremensis.

Idem hoc etiam tempore, tertium fundat in Livonia Episcopatum, nempè Uginensem; cui præfuit pariter Hermannus.

1209. Circa MCCIX. Hermannus, Lealiæ fabricat arcem, & virginum ibidem cœnobium.

Sed Albertus Germanis, & Scondiis, Papæ annuncians indulgentias, per ipsum ideo frequenter visitatis, copias indè auxiliares identidem adducit, & reducit, militiâ perfunctas.

1212. Circa MCCXII. M. Vinno, earundem præsenti auxilio, Ruthenis Kakenhusium, & Berseke, arces insignes, bello extorsit, schismaticorum DC. trucidatis.

1214. Circa MCCXIV. Ecclesia Rigæ cathedralis, sumptibus construitur præsulis Alberti.

1216. Circa MCCXVI. Fabricatur ab eodem Dynamundense monasterium, quod Magistrorum unus, in arcem dein convertit.

Hactenùs novennio, Johannes ex Suecia comes, indulgentias lucraturus, in Livonia militabat, & indè domum modò reversus, ab Estonibus piratis occiditur.

1218. MCCXVIII. Johannes Sueciæ rex, religionis propagandæ, condonationis acquirendæ, & regionis occupandæ gratia, in Livoniam classe delatus, absenti ereptam Hermanno, Lealiam suo firmat præsidio; Vichiam occupat, & Carolo comiti, Caroloque, Lincopensium Episcopo, utraque commissâ, in patriam remeat.

MCC.

MCCXIX. Infidelis Livoniæ plebecula, contra Suecos insurgens, castro violenter capto, Lealiæ, omnes dedit Suecos internecioni. 1219.

MCCXX. Valdemarus, Daniæ rex, non aliâ quam prius, intentione Suecus, in Livoniam appellit armatus, & innumerabilem propè paganorum multitudinem, in excidium populi Christiani congregatam, aggressus, miraculosam de illa victoriam, cœlitus obtinuit. 1220.

Rex pro eadem Deo gratiam relaturus, victo Estoniæ populo, dogma obtrudit Christianum; non paucas ibi fabricat Ecclesias sacerdotibus provisas; urbes, & arces, condit, in hujusque memoriam beneficii, albam gestant Dani crucem hodie in stemmate, & Estones vicissim insignia usurpant Daniæ.

Thomas, natione Anglus, III. Finlandiæ Episcopus, circa hanc sedit ætatem.

MCCXXI. Danus Vironensem in Estonia, & Curonensem, in Curlandia, arce hic Pillensi fundatâ, instituit Episcopas. 1221.

Ernemordus, I. Curonensium antistes.

Hermannus alter Lealensium fit Episcopus, qui ope regis Danici, & Alberti præsulis, ab Ethnicis Vichiam recuperat, compulsis simul Lealiam instaurare.

MCCXXII. Urbs construitur â Dano Revaliensis, & postmodum Narvensis, Vesenbergensisque. 1222.

Quando, circa eundem, Episcopus Rigensis, & M. Gladiferorum Segevoldensem, Vendensem, & Ascheradensem, erigunt munitiones.

Non pauci Gladiferorum, licentiâ præsulis Alberti, opem ferentes Masovitis adversus Prussos, cæduntur ab his omnes, præter V. superstites.

Circa MCCXXIII. Vinno M. Gladiferorum obiit, & successorem nanciscitur, Folquinum, II. in Livonia Magistrum. 1223.

Sub eo autem, & prædecessore, Christi nomine, in Livonia militarunt, Sueciæ, & Daniæ Reges, Saxoniæ, & Pomeraniæ Duces; Comes Holsatiæ; Thuringiæ; Oldenburgensis; Stadensis; Dannenbergensis, Lippenhusensis; Sed Equitum, & nobilium, plebeiorumque ferè innumerabiles.

Danus, Gladiferis fraudulenter persuasis, Papæ voluntatem esse, ut Ethnicos non impugnarent, nisi prius ab iis impugnati, & propterea feriantibus â bello, majorem Livoniæ sibi portionem subdidit.

Circa MCCXXIV. M. Ordinis Folquinus, dolo Regis in hostes confœderati, comperto, graviter offensus, & quod ille Suerini captus esset, occasionem nactus, armis Estoniam eidem eripuit, simulque Episcopam Oseliæ, non ità pridem â Dano fundatam. 1224.

Circa MCCXXV. Folquinus, urbem & arcem Revaliæ, captas, non paucis firmat ædificiis. 1225.

In veteri Parnavia, quod non esset modò alia in Vichia civitas, Ecclesia viguit cathedralis, indeque Habsaliam, & demum translata fuit, Arensburgum.

Circa MCCXXVI. Felinum beneficio Folquini, cepit exordium. 1226.

Circa MCCXXVII. Conradus D. Masoviæ, â Prussis idololatris nimium molestatus, impetrat Româ Crucigeros, ex Syria nuper pulsos, eadem in Prussia fruituros conditione, quâ Gladiferi in Livonia. 1227.

Circa MCCXXVIII. Magister, auxilio peregrinorum ex Saxonia, Jarvienses, & Oselienses Christo, sibique rebelles, multis eorum occisis, perdomuit. 1228.

Circa MCCXXIX. Virlandenses, hinc nullo perculsi metu, insurgunt, & Episcopum, Clerumque ipsius omnem obtruncant. 1229.

Sed

Sed naturali sublatus est morte, Albertus Rigensium antistes, de Livonica præclarè meritus Ecclesia.

Circa eundem M. Albertus, Bremæ prius Ludirector, orbâ potitur Rigæ cathedrâ; non Nicolaus, quem Rigenses, inconsulto Archipræsule Bremensi, elegissent.

1230. Circa MCCXXX. Albertus Rigensis; Hermannus Uginensis, Episcopi; Albertus Comes Orlemundensis, & M. Ordinis, Derpatum, conjunctis armis, extorserunt Rutheno; Ideoque multis ille seculis, posteà ansam hinc Livones impugnandi, captavit.

1232. Circa MCCXXXII. Folquinus, & Comes Thuringiæ, trino conflictu cecîderunt, IV. millia, CD. rebellium Oselienſium, & Semigallorum, seu Curlandorum; Sed D. Christianorum, amiserunt.

1233. Circa MCCXXXIII. Tam horrendâ Livones sunt fame cruciati, ut plurimi eorum, proprios devorarent liberos, & parentes senio confectos, furumque in patibulis cadavera.

1234. Circa MCCXXXIV. Hermannus, Uginensis Antistes, restaurato ex lapide Derpato, illuc cathedram transtulit.

1235. MCCXXXV. Gladiferi, potentiam Regis Danici, Estoniæ magnoperè inhiantis, formidantes, cum Crucigeris Prussiæ, occœperunt affectare unionem.

Enimverò causa inter Danos, & Gladiferos multum, diuque fuit Romæ hactenus ventilata, & licet Virlandia, Harrigiaque, cum dictis urbibus illis essent adjudicatæ; hi tamen triennio prorogarunt resignationem.

1236. Circa MCCXXXVI. Magister Comitibus Thuringiæ, & Holsatiæ, horumque non paucis stipatus sectoribus, velut & suis, II. millia Lithuanicorum prostravit gentilium; Quando DC. Christicolarum desiderabantur.

1238. Circa MCCXXXVIII. Comes Dannenbergensis, & M. Folquinus, ipsam invadunt cum suis Lithuaniam copiis, & ibi cadunt, simulque peregrinorum plurimi; Sed tantum XLVIII. Gladiferorum.

Hoc Danus infortunio Gladiferorum animatus, armis Estoniam recuperare molitur; Sed Pontifice & Cæsare, sequestris, ità fuit controversia priùs composita, ut rēx Waldemarus, amissæ restitutus provinciæ, Jerviam ordini donaret; cum illo fœdus in Ethnicos pangeret, & amicus eorundem ad aras evaderet.

Mox unioni Cruciferorum, & Gladiferorum, hactenus ab illis, Papam, & Danum, metuentibus, prorogatæ, subscribitur, simulque â Gregorio IX.

Hermannus Falck, I. Ordinis Theutonici magister in Livonia.

Ut Politicus Livoniæ status, magistro Prussiæ se subderet, sic Ecclesiasticus Prussiæ, Rigensi Episcopo, Archipræsuli utriusque provinciæ futuro, se decrevit subjicere.

1239. Circa MCCXXXIX. Novus Ordinis magister, junctis ex pacto armis cum Rege Danorum, & præsule Derpatensium, Ruthenis Iseburgum, & Plescoviam extorta, suo firmat præsidio.

1240. MCCXL. Proprium Revalia Episcopum adipiscitur, Torchillum; Qui sicut & Derpatensis, Oselienſis, & Curonensis, Lundensi diu Archiepiscopo auscultarunt; cessante interim Veronensi, seu Virlandensi, cathedrâ.

1244. Circa MCCXLIV. Alexander Novogardiæ princeps, Magistro Plescoviam eripuit, cæsis in ea LXX. Crucigerorum, aliisque.

Cir-

Circa MCCXLV. Idem contra Livoniam proſecuturus victoriam, inaudit hoſtes non imparatos, ſuperſedetque ideò excurſione. 1245.

Circa eundem, Henricus Heimborgus, II. Crucigerorum in Livonia Magiſter, Hermanno ſucceſſit mortuo.

MCCXLVI. Dominicani monachi, domicilium Revaliæ conſequuntur. 1246.

Circa MCCXLVII. Epiſcopus Franciſcani Rigæ cœnobium exſtruxit. 1247.

Thomas, Finlandiæ Antiſtes, in Gotlandiam â piratis hoc tempore fugatus, apud Dominicanos ibi moritur, & in archiodæo ſepelitur.

Theodoricus Groningenſis, III. Crucigerorum magiſter Livonicorum.

Circa MCCXLVIII. Curlandi, præſidio elati Lithuanorum, in dominos electorum, rebellant; Et Magiſter propterea utrisque congreſſus ſimul, MD. hoſtium cecidit, victorque condidit ibi arces, Goldingenſem & Ambotenſem. 1248.

Bero, IV. Finlandiæ Epiſcoqus, hoc fermè ſedit tempore.

MCCXLIX. Ericus, Daniæ rex, in Eſtonia commorans, & cælitus de ſua morte per fratrem inferrenda, cœnobioque in honorem Dei, & S. Venceslai, conſtruendo admonitus, Padiſenſe fabricavit. 1249.

Ericus, Sueciæ rex, Finnorum provocatus borealium piraticâ, transmiſſo illuc exercitu, per affinem directo Birgerum Jerl, plerosque Oſtrobothnienſium, ad arma convolantium, proſternit; his novos ex Suecia colonos ſufficit; Ethnicos ad Chriſtum ſuperſtites convertit, in binas cum Suecis diviſos parochias, Pederborenſem ſcilicet, & Muſerenſem; occaſionemque rebellandi erepturus illis, præſidium erigit, Korsholmenſe, ſub quo, & civitas, deinde conſurgit.

Ubi Sueones, circa eundem, claſſe relictâ, per nemus interpoſitum invadunt Tavaſtiam, Chriſtoque, & Sueciæ regno, incolas non difficulter ſubjugatos, Rendamechenſi commendant Antiſtiti, velut in utriusque conſervandos obedientia, caſtri adminiculo, ibi mox ſuſcitato, & Tavaſtaburg, ea propter, appellato.

MCCL. Andreas Stuchlandius, IV. in Livonia Magiſter Crucigerorum. 1250.

MCCLI. Abel Daniæ Rex, omnem Danici regni jurisdictionem, in Oſeliam, Vichiam, & inſularum cæteras, Hermanno aſſignat Epiſcopo, ſibi, & ſucceſſoribus, perpetuò ità ſubtractas. 1251.

Idem Magiſtro, paternam roborat donationem, ſuper Jervia.

Circa MCCLII. M. Andreas, Lithuanos, Samogitas, & Semigallos, ferro, flammaque crudeliter pervadit, non ſecus ac horrenda procella, atque hos conſueta pendere tributa compellit. 1252.

Circa MCCLIII. Mendovius, Lithuaniæ princeps, in amico cum Andrea colloquio, ſpondet ſe Chriſtianum velle fieri, ſi promotore illo Pontifex regiam ſibi conferre dignaretur authoritatem, operamque Magiſter lubens pollicetur. 1253.

Circa MCCLIV. Alexander IV. à Magiſtro in cauſſa Mendovii, ad regalem, & Præſulis Rigenſis, ad archiepiſcopalem, honores promovendorum, rogatus, votis conſentit Candidatorum. 1254.

Albertus hoc tempore Rigenſium Epiſcopus, in archiepiſcopum Livoniæ ac Pruſſiæ, conſecratus, ex illa binos habet ſibi antiſtites ſubjectos, Oſilienſem, & Curonenſem; Ex hac verò quatuor, nempè Varmienſem, Sambienſem, Pomeſanenſem, & Culmenſem.

1255. Circa MCCLV. Archiepiscopus, cum Magistro ordinis, aliisque non paucis, ad Mendovium pomposè admodum profectus, illum, & uxorem, prius solenniter baptizatos, aureis redimivit coronis.

1256. Circa MCCLVI. Episcopus Finlandiæ Bero, annuis Regi Sueciæ pendendis, Ecclesiam submisisse fertur, tributis.

Everhardus, V. in Livonia ordinis Magister Theutonici: Qui Samogitiam, velut Livoniæ infestam, mox vastavit.

1257. Circa MCCLVII. Monasterium ab Hermanno, Derpatensium antistite, construitur Valbenense.

1258. MCCLVIII. Annius Sangerhusensis, VI. militum in Livonia Magister Theutonicorum.

Ragvaldus V. Finlandiæ præsul.

1259. Circa MCCLIX. Antistes Finlandiæ, Ragvaldus, suis imposuit diœcesanis, sportulam, Episcopali quotannis mensæ offerendam, vulgò Matskot/ dictam.

Magister Livoniæ, frequentes habet cum Samogitis, & Semigallis, conflictus.

1260. Circa MCCLX. Hermannus, Derpatensis Antistes, monachum professus in cœnobio Valbenensi, ibi postmodum obiit.

Circa eundem, Alexander II. Derpati Episcopus.

1261. Circa MCCLXI. Burchardus Hornhusensis, VII. ordinis Magister. Is cum Samogitis facit inducias, petentibus biennales, & alios Christi hostes, intereà non segniter impugnat.

1262. MCCLXII. Carolus ex Suecia comes, fit commilito fratrum Theutonicorum in Prussia, & Livonia, adversum infideles.

1263. Circa MCCLXIII. Mendovius, Lithuaniæ Rex, apostata factus, cum Ruthenis, Samogitis, & Semigallis, in excidium Crucigeri Ordinis conspiravit.

Circa eundem, Magister ab hoste inprimis victus, & deinde victor evadens, hosticum populatur, in quo suum collocat præsidium.

1264. MCCLXIV. Ragvaldus Finlandiæ præsul, licentiam obtinet Romæ ab Urbano IV. fundandi Rendamechiæ IV. Canonias.

Circa eundem, Magister Ordinis, in pugna Dorbensi, cum Ruthenis, Lithuanis, Samogitis, & Semigallis, habita, occumbit, & præter CL. Crucigerorum, plures multò peregrini, quorum fuit unus Carolus Jerl, Suecus.

Georgius Eychstadius, VIII. Ordinis in Livonia Magister Theutonici.

1265. Circa MCCLXV. Ille mortem vindicaturus antecessoris, etiam fermè cecidisset; Ideoque lubens pacem cum Lithuanis acceptat.

1266. Circa MCCLXVI. Oselienses â fide, & subjectione, molientes defectionem, Georgius armis compescuit.

Christiani tamen prius per illos, & infidelium alios, gravem sustinent persecutionem.

Catillus, hoc tempore VI. Finlandiæ Antistes.

Qui usus licentiâ Pontificis, per antecessorem impetratâ, Rendamechiæ, IV. instituit canonica sacerdotia.

1267. Circa MCCLXVII. Vernerus Breythusius, IX. ordinis Magister.

1268. Circa MCCLXVIII. Moschus territorium Derpatense, Mendovius Vendense, Trametus Samogita, Rigense, & Vichiam, non impunè infestarunt.

Curlandi etiam pœnas defectionis à Christo, & Magistro, luerunt.

Cir-

Circa MCCLXIX. Conradus Menderensis, X. ordinis in Livonia Magister Theutonici. 1269.

Mendovius, ab uno principum suorum occisus, apostasiæ dedit pœnas.

Circa MCCLXX. Conradus copias ex Dania, & aliundè, nactus auxiliares, crebram ex Ruthenis, Lithuanis, Samogitis & Curlandis, reportat victoriam, desideratis, interim, XXX. Crucigeris, & aliorum DC. commilitonum. 1270.

Idem belli tempore, Huitenstenum in Jervia condidit.

Circa MCCLXXI. Mytovium, â Magistro in Curlandia ædificatur. 1271.

MCCLXXII. Otto â Rodensten, XI. Ordinis Magister in Livonia Crucigeri. 1272.

Is cum Ruthenis confligens, V. millia illorum cecîdit, & Alexandrum, Derpati Episcopum amisit, cum aliis Christianorum non paucis.

Fridericus, III. Antistes Derpatensis.

Circa MCCLXXIII. Russiam invadit, Otto cum XVIII. hominum millibus, & Isseburgo concremato, impugnat Plescoviam, paceque cum hoste, illam flagitante, factâ, triumphans remeat. 1273.

Circa eunndem Albertus, I. Livoniæ & Prussiæ archipræsul, mundo, & cathedræ valedixit, hacque potitus est Johannes à Lunen, II. Rigæ Archiepiscopus.

MCCLXXIV. M. Otto & LII. Crucigeri, Lithuanis & Semigallis Osiliam vastantibus occurrentes, ceciderunt. 1274.

Andreas XII. Ordinis in Livonia Magister, ut mox electus, ità & mox ab iisdem interfectus cum XX. confratribus.

MCCLXXV. Valterus Nordecius XIII. Magister in Livonia Crucigerorum. 1275.

Circa MCCLXXVI. Idem gloriosè sæpius triumphat, de Samogitis & Semigallis. 1276.

Qui & Tarveytensem, Meysatensemque condidit arces.

Benedictus, Birgeri Jerl filius evasit dux Finlandiæ.

Circa MCCLXXVII. Magister Semigalliam sibi subdit, & eam cum Patrum collegio Rigensium dividit. 1277.

Margareta, Daniæ regina, jus præsentandi Episcopum Revaliæ, resignat Consistorio.

MCCLXXVIII. Ernestus à Rasborg, XIV. Livoniæ Magister. 1278.

Circa eundem. Is arcem cœpit moliri Dunenburgensem, & finitimos armis Ethnicos, opus impedire conantes, compescuit.

MCCLXXIX. Ernestus, auxilio Gubernatoris Estoniæ, populatur Lithuaniam, & hostis longè potentior insecutus reducem, præter alios commilitonum multos, occidit ipsum, & LXXI. confratrum. 1279.

Conradus Fuchtevangensis, XV. Livoniæ Magister.

Circa MCCLXXX. Idem triennio gubernans Livoniam, continuò impugnat Samogitas, & Semigallos, fitque dein Prussiæ Magister. 1280.

MCCLXXXI. Wilhelmus Schurborgensis, XVI. Livoniæ Magister. 1281.

Circa MCCLXXXII. Crucigeri Lithuanos, Samogitas, & Semigallos, profligarunt, interfecto illorum ductore. 1282.

Circa MCCLXXXIII. Per Villechenum fundatur Wolmaria. 1283.

Johannes, VII. præsul Finlandiæ sedit hoc fermè tempore.

Circa MCCLXXXIV. Fabricat idem magister Burtnicum arcem. 1284.

1285. Circa MCCLXXXV. Castrum Tricatense, operâ etiam Villecheni, consurgit.

Circa eundem, Magnus, Sueciæ rex, pro expugnatione infidelium in Livonia, vovit nuper militarem illuc expeditionem. Verum quod profectioni, corporis adversaretur invaletudo, transmissis Rigam aliquot puri libris argenti, modo votum redemit.

1286. Circa MCCLXXXVI. Magister à rebellibus victus Semigallis, cum XXX. confratribus occumbit.

1287. MCCLXXXVII. Conradus Hertogenstenensis, XVII. Livoniæ Magister.

Dux Benedictus, fit Lincopiæ antistes, traditâ fratribus Finlandiâ.

1288. Circa MCCLXXXVIII. Magister Semigallos denuò subjugat, & castrum recuperat Dobbelense.

1289. Circa MCCLXXXIX. Boltius Hogenbachius, XVIII. Livoniæ Magister.

Ericus, Daniæ rex, approbat, jus à matre concessum Clero Revaliensi, Episcopum eligendi, quem vellet, & liberat à ferendis militiæ subsidiis.

Johannes, Finlandiæ antistes, ad Upsalensem promovetur archiepiscopum.

Magnus, VIII. Finlandiæ Episcopus, hoc circa tempus.

Bernardus, III. Episcopus Dorpatensis.

1290. Circa MCCXC. Crucigeri, & Episcopi Livoniæ, cum populis nacti finitimis pacem aliquandiu, mutuis se armis impetere occœperunt.

1291. MCCXCI. B. Hemingus, in parochia Uplandiæ Belingensi, natus, præsul deinceps eximius Finlandiæ evasit.

1292. Circa MCCXCII. Controversia inter Episcopos Livoniæ, & Magistrum, flagrans Crucigerorum, de eminentia, paulisper componitur.

1293. Circa MCCXCIII. Carelia Ruthenis, Suecorum armis, potenter extorta, fidem ad Catholicam convertitur, operâ Petri, Vesmannorum Antistitis.

Circa eundem. Arx in ea Wiburgensis construitur, ceu insuperabile regionis propugnaculum, cui progressu temporis, urbs adjungitur, cum binis Dominicanorum, & Franciscanorum, cœnobiis.

Sueci porrò victoriam prosequentes, Kexholmiam quoque Moscho ereptam, suo firmant præsidio.

1294. MCCXCIV. Rutheni Kexholmiam Suecis eripuerunt.

Circa eundem, Clerus Revaliensis, Roschildiam Daniæ citatus, jus eligendi Episcopum cogitur regiæ submittere potestati.

Henricus Dumpeshagensis, XIX. Magister Livoniæ.

1295. Circa MCCXCV. Præsul Dorpatensis, litem Magistro intentans, ei reconciliatur.

1296. Circa MCCXCVI. Bruno, XX. Livoniæ Magister.

Johannes Fechtius, III. Archipræsul Livoniæ, & Prussiæ.

1297. Circa MCCXCVII. Novus Livoniæ Metropolitanus, Crucigerorum succensens potentiæ, avaritiæ, & insolentiæ, cum Lithuanis in illorum conspirat exterminationem.

1298. MCCXCVIII. Magister, cum LX. cadit Crucigeris, & victor Archiepiscopus, & Episcopi, Lithuanorum ope confœderatorum, arcem ho-

hoſtis Novemoilenſem oppugnantes, grandi acceptâ ſuorum clade, receptui cecinerunt.

Godefridus, XXI. Livoniæ factus Magiſter, bellum cum Rigenſibus inchoatum, diu proſequitur.

Sueci dominium hactenus univerſæ nacti Finlandiæ, ut Moſchorum prohiberent in eam irruptiones, caſtrum Noteburgenſe fortiſſimum in colliminio erexerunt.

MCCXCIX. Magiſter ſubſcribit veteribus Lubecenſium in Livonia privilegiis, & liberum illis facit, tàm belli, quàm pacis tempore, cum Ruthenis ibi negotiandi. 1299.

Bonifacius VIII. Beatum Henricum rationario inſcripſit ſanctorum.

Idem approbat, ut cathedra Finlandiæ Epiſcopalis, â Rendamechio transferretur Abogiam.

MCCC. Magnus Finlandiæ præſul, ope Birgeri Regis, cum cathedra migrat Rendamechio Abogiam. 1300.

Quò exuviæ S. Henrici deinceps, XVIII. Junii, â Nouſio, ſollenniter fuerunt translatæ, & argenteo impoſitæ decenter loculo.

Urbis fundamenta jaciuntur Abogenſis; Sed Eccleſiæ prius cathedralis.

Ericus, Daniæ rex, quibusdam ab Archipræſule Rigenſi, donatus in provincia immunitatibus, illius contra Magiſtrum ſuſcepit protectionem.

Sed Iſarnus, Papæ Legatus, litem utrinque decidit, qui propterea eligitur à partibus, Rigenſis Archipræſul.

Circa MCCCI. Rutheni Noteburgum, cæſis in eo crudeliſſimè Suecis, expugnatum demoliuntur. 1301.

Johannes, Suerinenſis comes, Rigæ V. Archimyſta hoc circa tempus.

MCCCIII. Chriſtopherus, Danici frater Regis, Eſtoniæ dux conſtituitur, 1303.

Circa MCCCIV. Crucigeri & vaſalli Regis, in Eſtonia Danici, mutua ſibi ſpondent in hoſtes ſubſidia. 1304.

MCCCVI. Vaſalli in Eſtonia Regis Daniæ, ob fœdus cum Magiſtro initum, ſuſpecti Domino, huic firmius ſe obligarunt. 1306.

MCCCVII. Conradus Jochenſis, XXII. Livoniæ Magiſter. 1307.

Is bello extorſit Præſuli Oſilienſium, Habſaliam, Lode, & Lealiam, cum tota Vichia.

MCCCVIII. Magnus, Finlandiæ obiit Epiſcopus, ſucceſſorem aſſequens Ragvaldum. 1308.

Circa eundem, Johannes, Bremenſium Archipræſul, â Romano Pontifice arbiter deputatus, inter Clerum & Crucigeros Livoniæ, ponderatâ lite, pronunciat hos ibi potius operam dare religioni extirpandæ, quam propagandæ.

MCCCX. Danus Revaliam firmius obmunire curavit. 1310.

MCCCXII. Lubecenſes ab Erico Sueciæ & Finlandiæ, dominatore, impetrant veniam navigandi per Nynum usque Novogardiam. 1312.

Ragvaldus hoc tempore Finlandiæ præſul, Cnuſtenſe, non procul Abogia, ſibi & ſucceſſoribus, condidit præſidium, ſeu caſtrum.

MCCCXIII. Finnones Suetico, velut intolerabili, excuſſo jugo, Buggonem quendam, ex priſca ſuorum proſapia regum oriundum, eligunt regem; Qui mox à Suecis trucidatus fuit, & rebelles ad obedientiam compulſi. 1313.

Magiſter Livoniæ, infeſtos ſibi Ruthenos, expugnatâ Pleſcoviâ, & ſpoliatâ, cogit ad inducias ſecum faciendas.

1314. MCCCXIV. Idem cum Dano convenit, de modo componendi lites quaslibet, si quæ inter utriusque orirentur ditiones.

Quando, Rex Daniæ, subscripsit donationi, ab antecessoribus factæ Crucigerorum ordini, super Harrigia.

1315. MCCCXV. Rex item Ericus offensam condonat Revaliensibus; vetera illis roborat privilegia, & mœnia urbis mandat demoliri, si quæ acropoli censerentur perniciosa.

Idem alios Estonum jure donat nunc feudali, quo deinceps usi provinciales.

Quos modò per triennium tanta flagellavit fames, ut non tantum fures ex patibulis subtractos, sed etiam parentes, liberos, & versâ vice, comederent.

1317. Circa MCCCXVII. Cœnobitæ in Estonia Stolpenses, ordinis Cisterciensis, veniâ, & ope Regis, migrarunt Padisum.

1318. Circa MCCCXVIII. Moschus, ceu tempestas horribilis, Finlandiam pervadit, â quo urbs, cum Ecclesiis exusta fuit Abogensis.

1321. Circa MCCCXXI. Mors abstulit Ragvaldum, Finlandiæ antistitem.

1322. MCCCXXII. Benedictus Upsaliæ Canonicus, infulæ destinatus Abogensi, Stocholmiæ per Archiepiscopum initiatur.

Georgius, Novogardiæ princeps, Careliam armis potenter repetens, Viburgum, Suecorum in ea propugnaculum, vano impugnavit conatu.

1325. MCCCXXV. Christopherus, rex Daniæ, confirmat Ecclesiæ omnia privilegia, Deiparæ apud Revalienses.

Nobiles Estoniæ, novam ab eodem feudorum capiunt investituram.

1327. MCCCXXVII. Everhardus â Monheim, XXIII. Livoniæ Magister.

1328. MCCCXXVIII. Benedictus, Finlandiæ Episcopus, quatuor prioribus, binas Abogiæ adjecit canonias hoc tempore.

1329. MCCCXXIX. Rex Daniæ, pro se, & successoribus, cavet litteris, quod Estonia nunquam Danis esset subducenda.

Idem puellis Estoniæ, in honorem B. V. indulget, ut imposterum hæreditatem capiant paternam, jure hæreditario.

Constituit etiam, ut proximus pupilli agnatus, esset tutor ejus, quam diu foret minorennis.

1330. Circa MCCCXXX. Rigenses, castrum Magistro Dynamundense armis conantes eripere, ità vicissim ab illo impugnantur, ut se, & urbem ipsi suam, privilegiaque, subdere, propugnacula, & mœnia diruere, compellerentur.

Ostrobotnienses â Rege admonentur, ut Clero suo decimas persolverent.

1332. Circa MCCCXXXII. Magister Everhardus, arcem construxit Rigensem.

1334. Circa MCCCXXXIV. Idem copias nactus auxiliares Comitis Arnsborgensis, Ruthenos, Lithuanos, & Samogitas, ceu molientes Prussiæ Crucigeris bellum, incursat, donec secum paciscerentur.

1335. Circa MCCCXXXV. Fredericus Bremensis VI. Rigæ Archiepiscopus.

Magnus rex, & Episcopus Abogensis, VIII. Septembris, taxant decimas, â parochianis in Kemi, & Salo, (quæ solum binæ fuerant hoc tempore in præpositura Bothniæ orientalis boreali paræciæ) curato quotannis pendendas.

Pe-

Petrus, Sueciæ primas, visitans ex officio Alandiam, statuit, ut focarum decimæ imposterum Parochi mensæ, quod crebrò hospites susciperet, applicarentur, non fabricæ amplius Ecclesiasticæ.

Circa MCCCXXXVIII. Crucigeri compescunt Ruthenos, bello sub Plescovia Livoniæ inferendo, accinctos. 1338.

Circa MCCCXL. Benedictus, Finlandiæ Antistes, XXV. Octobris, in fata concessit ultima. 1340.

MCCCXLI. B. Hemingus, Upsalensis, & Abogensis, canonicus, ob egregias animi corporisque dotes, Episcopus XI. ordinatur Finlandiæ. 1341.

Borchardus Dreylevensis, XXIV. Livoniæ Magister.

Qui Marienburgum, & Fruenburgum, ad Russiæ fabricat limitem, circa hoc tempus, quas Moschus formidans munitiones, & illam propterea impugnans, profligatur.

MCCCXLII. B. Hemingus, edicto publicato, decernit, ut decimas solvere contumaciter abnuens, anathemate feriretur. 1342.

MCCCXLIV. Agricolæ Livonienses, jugum excussuri Germanicum intolerabile, in Theutonum conjurant necem, rogatâ Finnonum ope, & operâ. 1344.

Itaque Harrigienses Estoniæ, quadam nocte plerosque Germanorum in Harria, & XXVIII monachos, in Padiso, trucidarunt, Revaliamque, cum X. millibus hominum, obsederunt.

Similiter in Vichia & Oselia plebs contra Episcopos, & nobiles, tumultuatur.

Circa MCCCXLV. Magister â Gubernatore imploratus Revaliensi, cum auxilio illuc advolat; qui agricolas, licet Crucigeris, non aliis nobilium, subesse forent parati, omnes fermè tradidit internecioni. 1345.

Victricibus in Vichenses quoque rebelles, deindè conversis signis, pari eos successu edomuit.

Sicut & Ruthenos, contra Germanorum in provincia Dorpatensi tyrannidem, ab agricolis invocatos, cum minori frequentia suorum redire compulit.

Intereà Episcopus, & Gubernator, Finlandiæ quod plebs Livoniæ, illis Revaliam promisisset occupatam, ignari cladis, navale expediunt subsidium, quod mox rediit, cognito sociorum infortunio.

Non clementius processit Magister cum Oseliensi plebecula, & superstes in rebellionis mulctam cogitur ibi arcem extruere, Sonnenburgensem.

Interim Moschus, ex voluntate agricolarum, in Germanos Semigalliæ, & territorii Rigensis, desævit flammâ, ferroque.

Verum fraus, quam plebecula Felinensis provinciæ, in caput meditaretur Germanorum, in proprium ipsius cecidit.

MCCCXLVI. Waldemarus, rex Daniæ, lucraturus indulgentias, pugnando contra infideles, venit in Livoniam. 1346.

Quandò Karchelensem, Capellensem, & Kipellensem, parochias, Ecclesiæ donavit Revaliensium cathedrali, suam, uxoris, & parentum animas, assiduis ideò precibus Deo commendaturæ.

Item propriâ, & paternâ, contemptis turpiter obligationibus, Henrico Prussiæ Magistro, vendidit Estoniæ ducatum, pro XIX. millibus librarum argenti.

Otto Regis frater, ordini Crucigerorum simul inscribitur, & calendis Novemb. Estonia, nempe Harrigia, Virlandia, cum Revalia, Narvia, & Vesenbergo, à Danis ægrè traditur Magistro.

Sed

Sed Magnus, Sueciæ rex, in Septemb. rigidè mandat Finlandis, ut Episcopo decimas butyri, *Foremarch* dictas, citra contumaciam omninò penderent.

1347. MCCCXLVII. Gosvinus, XXV. Livoniæ Magister.

Rex, & Episcopus, literis admonent Carelos, ceu neophytos in fide catholica, constantiæ in suscepta nuper religione, & decimarum fideliter Deo solvendarum.

Quandò insuper ille statuit, ut agricola parocho suspectus malè decimas pependisse, proprio, & testium duorum, se purgaret juramento.

Sicut etiam, ut inhabitatores paræciæ, in qua Episcopus ex officio visitaret, in usum tunc illius traherent sagenam.

Idem crebras Ruthenorum, per Nynum in Finlandiam prohibiturus excursiones, Noteburgum expugnat, & Suetico munit præsidio.

1348. MCCCXLVIII. Rex Magnus, victor in hostico grassatur; schismaticos ad fidem hortatur catholicam, & ab his insigniter delusus, ægre cum exercitu incolumis indè domum evadit.

Moschus, Nöteburgo iterum capto, Suecos, & Finnones, in eo quoslibet truculenter sanè mactavit, Regemque coëgit, ad spondendam sibi partem Careliæ; ad quam, in omnibus cum Sueco deinceps conventibus, provocavit contumaciter transactionem.

Circa eundem, B. Hemingus, vitæ Regem emendandæ; tyrannidis non exercendæ in subditum diutius populum; nummi Petrini ad belli usum nec convertendi, vehementer admonens, ab illo in vincula conjicitur.

Ideò Pontifex offensus, Magnum suo perstringit fulmine, & sacris vetat Clerum per Finlandiam operari, donec ipsius liberaretur Antistes, qui fuit actutum solutus.

1352. MCCCLII. B. Hemingus, condito, & promulgato edicto, prohibet, nè ullus Clericorum præsumeret ex sua migrare diœcesi ad aliam, ni vellet officio, & beneficio privari.

Insignia quædam statuta, parochos in officio commodè instruentia exercendo, per Finlandiam disseminat.

1353. Circa MCCCLIII. Idem Abogiæ, propriis fundavit impensis, Præposituram.

Benedictus Algotsonius, dux Finlandiæ, à Magno constitutus, eam insuetis onerat nimium exactionibus.

Circa eundem, Fromholtius, VII. Rigæ fuit Archiepiscopus.

1254. Circa MCCCLIV. Henricus Hermansonius, I. Abogiæ Præpositus.

1355. Circa MCCCLV. Magister in conflictu cum Ruthenis habito, X. millia hostium prostravit.

1356. Circa MCCCLVI. Episcopus Abogensem donat Ecclesiam libris, prædiis, pedo, & infulâ.

Crucigeri grandem Samogitiæ vastitatem intulerunt.

1357. MCCCLVII. Ericus rex, dominium Finlandiæ, Benedicto indè profligato, adeptus, VII. Septemb. Abogiæ approbat omnia, quæ Magnus pater concessisset privilegia Ulfsbycensibus, Musarensibus, Pedenoranis, & Nerpensibus, Benedictique abrogat onera, illis imposita.

1360. MCCCLX. Arnoldus Vitinghavensis, XXVI. Livoniæ Magister.

1363. Circa MCCCLXIII. Illustris heros, Israël Birgersonius, S. Birgittæ frater, Eques, & Senator Sueciæ, pro Christo in Livonia strenuè militans, metam vivendi in oppido Rigensi apprehendit, cujus in Sueciam funus inde translatum, Upsaliæ fuit pro dignitate humatum.

Cir-

Circa MCCCLXIV. Magister impugnat Lithuanos, quorum II. millia occidit; arcem evertit Caunensem, & regem in ea Constantinum, cum filio, & nobilium plurimis, capit. 1364.

MCCCLXV. Rex Albertus Finlandiam, arcibus in illa expugnatis, Magno extorsit avunculo. 1365.

Item XXIV. Junii, subscripsit immunitatibus, quas rex Ericus, adversum Benedicti Statuta, quibusdam in Bothnia orientali parochiis indulsisset.

MCCCLXVII. B. Hemingus, annos natus LXXVII. sanctam Deo animam reddidit, XXII. Maij. 1367.

MCCCLXVIII. Henricus Abogiæ Præpositus, licentiâ Urbani V. consecratus Romæ Finlandis Episcopus, indeque domum festinans, in via moriebatur. 1368.

Circa eundem Johannes in cathedra subrogatur illi Abogensi, vir tantæ profectò eruditionis, ut olim studiosus, Rectorem egerit, Academiæ Parisiensis.

Circa MCCCLXIX. Novus Finlandiæ Præsul, sepulcrum Nousii S. Henrici magnifico decoravit cœnotaphio, æneâ laminâ eleganter instrato. 1369.

MCCCLXX. Johannes, XIII. Finlandiæ Antistes, morti succumbens, Johannem, XIV. habuit successorem. 1370.

MCCCLXXI. Wilhelmus Frymersensis, XXVII. Livoniæ Magister. 1371.

Is plurima, eaque gravissima suo tempore gubernationis, cum Ruthenis, Lithuanis & Semigallis, religionis ergò propagandæ, & regionis, bella gessit.

Circa MCCCLXXIII. Johannes Sintensis, VIII. Rigæ Archiepiscopus. 1373.

Circa MCCCLXXVII. Lobius Ulsensis, XXVIII. Livoniæ Magister. 1377.

Qui amicus quidem externis fuit populis finitimis; Sed internis, & præsertim Dorpatensibus, inimicus; utpote quibus cum acriter belligeravit.

Circa MCCCLXXXI. Chorus, & Præbenda S. Catharinæ, ab Episcopo Abogiæ fundantur, ac dotantur. 1381.

MCCCLXXXIV. Johannes, Finlandiæ Præsul, Legatum agens regis Alberti Novogardiæ, ibi vitam finivit; Sed domi sepultus est. 1384.

Circa MCCCLXXXV. Birgerus, XV. Finlandiæ Antistes. 1385.

Circa MCCCLXXXIX. Ille Archidiaconatum propriis Abogiæ impensis, instituit. 1389.

Circa eundem, Magnus, Olai Tavasti filius, I. Abogiæ fuit archidiaconus.

MCCCXC. Bonifacius IX. Pontifex maximus, postquam LXXX. annis, controversia inter Archiepiscopum, & Magistrum, super urbe flagrasset Rigensi; tandem acceptis XV. millibus aureorum, illam Crucigerorum ordini adjudicavit. 1390.

Circa MCCCXCIII. Cœnobium in Finlandia virginum Korosense, â præsule Birgero fuit ædificatum. 1393.

MCCCXCIV. Valdemarus Bruggeneius, XXIX. Livoniæ Magister. 1394.

Circa MCCCXCV. Derpatenses, vocatis in subsidium Ruthenis, Lithuanis, & Semigallis, Magistri ditiones populantur. 1395.

1396. Circa MCCCXCVI. Crucigeri hostem, non absque suorum clade, ex Livonia profligarunt.

1397. Circa MCCCXCVII. Pax inter Magistrum Livoniæ, & Derpatenses renovatur Dantisci.

Ubi simul Magister Prussiæ, velut supremum ordinis caput utrobique, ex speciali quadam gratia, contra jus Livonum feudale, licentiam indulget nobilibus Estoniæ virginibus, ut cum fratribus, agnatis & cognatis, usque V. gradum, tàm in bonis capiant immobilibus, quàm mobilibus, hæreditatem.

Quod olim Rex Daniæ, nobilibus Estoniæ dedit Equestre judicium, hoc præfatus Magister modo illis confirmavit.

Singularem præterea nobilium quilibet habuit domi suæ, in convictos alicujus flagitii, judicandi licentiam.

Immò & ipsemet agricolæ, quæ tamen magis barbaro, Ethnicoque fuit, quam Christiano, digna homine.

1400. Circa MCD. Monasterium Ordinis Brigittini Nadendalense, in villa Karachyle, parochiæ Mascho, primum conditur.

1401. Circa MCDI. Sacrum auroræ, seu Missa sub primam dicenda auroram, â Birgero instituitur Episcopo, Abogiæ.

1402. MCDII. Conradus Vitinghavensis, XXX. Livoniæ Magister.

1404. Circa MCDIV. Ille Plescoviensem devastat provinciam, & plus quam VII. millia Russorum, occidit.

1405. MCDV. Magister, in subsidium vocatus â Crucigeris Prussiæ, contra Polonos, & Lithuanos, omisso bello Ruthenico, illuc festinavit.

1407. MCDVII. Mercatores quidam, prope Revaliam, Mariendalense, ordinis Brigittini cæperunt construere cœnobium, in eoque vitam professi sunt deinceps monasticam.

1412. MCDXII. Theodoricus Turchius, XXXI. Livoniæ Magister, & Johannes Wolras Archiepiscopus Rigæ.

Birgerus, Finlandiæ Antistes, vitam in Junio finivit.

Magnus, nobili genitus parente scilicet Olao Tavasto, vacuam conscendit Finlandiæ cathedram, licentiâ Johannis XXIII. Romæ consecratus.

1413. Circa MCDXIII. Cœnobium fuit translatum Nadendalense, ad villam, Stenbergh, & deinceps ad Helgå / velut locum prioribus commodiorem.

Vitoldus, Lithuaniæ dux, Smalenciam armis Moscho extorsit, hoc circa tempus.

1414. Circa MCDXIV. Johannes Walradius, IX. Rigæ Archiepiscopus.

1415. MCDXV. Sivardus Landerus, XXXII. Livoniæ Magister, qui continuum gerit bellum cum Lithuanis.

1417. Circa MCDXVII. Episcopium ædificatur Abogense, ab Antistite Magno.

1419. Circa MCDXIX. Johannes Habvedus, X. Rigæ Archiepiscopus.

1420. Circa MCDXX. Magnus, Finlandiæ Præsul, votivam ingreditur peregrinationem ad sepulchrum Hierosolymæ Dominicum.

1421. Circa MCDXXI. Indè Magnus Venetias reversus, insignia suæ comparat Ecclesiæ ornamenta, non modico constantia precio.

1422. Circa MCDXXII. Gravis admodum controversia fervet inter moniales, & Senatum Revaliensem, quam Magister jure diremit.

1423. Circa MCDXXIII. Magnus, Abogensis Episcopus, juxta quamlibet fermè diœcesis suæ Ecclesiam, instituit, & alit, nosocomium.

MCD-

MCDXXV. Liſius à Rutenberg, XXXIII. Livoniæ Magiſter. 1425.

Circa MCDXXVI. Eximius Finlandiæ Antiſtes, majoribus donat annuis archidiaconatum reditibus Abogenſem. 1426.

Circa MCDXXVII. Idem S. Henrico, argenteam fieri curavit ſtatuam. 1427.

Henricus, XI. Livoniæ & Pruſſiæ fuit Archiepiſcopus.

Circa MCDXXVIII. Henricus Yxel, antiſtes, Epiſcopium ſibi & ſucceſſoribus, condidit Revaliæ, contiguum acropoli. 1428.

MCDXXIX. Abogia cum Eccleſia, & cœnobio, conflagrans, per Magnum deinceps reſtauratur Epiſcopum. 1429.

Circa MCDXXXI. Ille idem præſul, germanus profectò Pater Finlandiæ, pluribus & elatioribus, elegantioribusque caſtrum ædificiis adauxit, Knuſtenſe. 1431.

Circa MCDXXXII. Magiſter XII. ſeptimanis, Lithuaniâ horrendum vaſtatâ, victor indè remeans, ex dyſſenteria moritur. 1432.

MCDXXXIII. Franco Kersdorpenſis, XXXIV. Livoniæ Magiſter. 1433.

Is bellum proſequens contra Lithuanos, in quodam ſemel conflictu, XX. millia ſuorum militum primariorum, deſideravit.

Revalia, XI. Maji, fortuito tota arſit incendio.

Circa MCDXXXV. Henningus, XII. Rigæ Archiepiſcopus. 1435.

MCDXXXVI. Henricus Schungelius, XXXV. Livoniæ Magiſter. 1436.

Mariendalinum, S. Birgittæ cœnobium, ad faſtigium fuit eleganter perductum.

Finnones, cum Sueciæ Senatu, adverſus regis Erici ſe colligant tyrannidem, & ideò exactionum ab hoc injuſte impoſitarum, impetrant alleviationem.

Circa eundem, Archipræſul, & Crucigerorum ordo, amicantur quidem; Sed non diuturna fuit amicitia, quod ille ſuſpectam haberet ſemper hujus potentiam, & ex Rigenſi, Dynamundenſi, Novomollenſique, velut nimium propinquis, timeret arcibus, inſidias.

MCDXXXVIII. Heidenricus Finchius, XXXVI. Livoniæ Magiſter. 1438.

Sacellum corporis Dominici, Epiſcopus conſtruxit Abogiæ.

Circa MCDXXXIX. Olaus, qui Magno deinceps Abogiæ ſucceſſiſſet avunculo, Profeſſor, & Rector fuit in Academia Pariſienſi. 1439.

MCDXLI. Chriſtopherus Rex, donationem ſenatus quondam ſuper Stenberg, & Helgå/ factam Nadendalenſibus, eâ comprobat lege, ut ipſe, non alius, cœnobii cenſeretur impoſterum fundator. 1441.

Carolus, Sueciæ Marſchalcus, auſtrali in feudum donatur Finlandiâ.

Circa eundem, Bauſchenborg â Magiſtro fabricatur in Livonia caſtrum.

Circa MCDXLII. Lucia, Henrici Clauſonii, Equitis â Kaſchis, & in boreali Finlandia quondam Legiferi, vidua, â Magno perſvaſa Epiſcopo, fratre, accepto alibi prædio æquivalente, ſuum in Aëlis Latifundium, aſſignavit Nadendalenſibus. 1442.

Circa MCDXLIII. Nadendalenſes, impetrato regis Chriſtopheri conſenſu, ab Helgå/ cum ſuo ad Aëlis conventu migrarunt. 1443.

Circa MCDXLIV. Magnus præſcribit Alandis decimas, Clero ſolvendas. 1444.

1445. Circa MCDXLV. Crucigeri non infeliciter cum Ruthenis belligerarunt.

1446. MCDXLVI. Chriſtopherus rex, aliquod ſibi arrogans jus in Oſiliam, Ludolphum ejus antiſtitem, ſub ſuam admittit protectionem, & privilegia â ſuis conceſſa anteceſſoribus, illi Eccleſiæ roborat.

1447. Circa MCDXLVII. Præſul Magnus, cœnobii præcipuus Nadendalenſis promotor, archiodæum, & adytum ſuis ibi ſumptibus condidit.

1448. Circa MCDXLVIII. Crucigeri Ruſſiam incurſando, multis illam cladibus cumularunt.

1449. Circa MCDXLIX. Sylveſter, XIII. Rigæ ſedit Archiepiſcopus.

Circa eundem, Magnus Epiſcopus, prope Nadendalenſe monaſterium, ſibi conſtruxit habitaculum.

1450. MCDL. Magnus, Olao ſororis filio, aſſignat cathedram, & ipſe Deo ſoli, citra mundi impedimenta, commodius impoſterum ſerviturus, apud Nadendalenſes commoratur.

1451. MCDLI. Johannes, XXXVII. Livoniæ Magiſter.

1452. MCDLII. Magnus, Finlandiæ præſul, vel potius Pater, Nadendaliæ curriculum vitæ feliciter terminans, Abogiæ in choro Dominici corporis, humatur.

1453. Circa MCDLIII. Magiſter petitam â Pruſſo, non tulit opem, quod bellum domi cum Archiepiſcopo gereret, quem in vincula conjicit, & bona illius diripit; Sed tandem ipſi reconciliatur, liberato.

1455. Circa MCDLV. Ara XI. millibus virginum, ab Olao præſule fundatur Abogiæ.

1456. MCDLVI. Chriſtiernus rex Daniæ, ſibi jus uſurpans patronatus in Eccleſiam; Sed neſcio quam legitimè, Revalienſem, & titulo utens Eſtoniæ, Epiſcopi promovet Romæ inaugurationem.

Idem, ut Finlandos ad ſuam quoque compelleret ſubjectionem, transmiſſo in eos non modico exercitu, Viburgum aliquandiu impugnat, & tandem concremat.

1457. MCDLVII. Finlandia per Danos, & horum ſeducta fautores, â rege Carolo, ad Chriſtiernum; non tamen tota, deficit.

Chriſtiernus rex, jus ſibi quoddam, velut anteceſſor Chriſtopherus, in Oſilienſem immaginans Eccleſiam, illius approbat privilegia, & Epiſcopum Papæ commendat.

1460. MCDLX. Olaum Finlandiæ Antiſtitem, XXV. Februarii mors abripuit, ſepultum ad latus avunculi.

M. Conradus, Henrici Bitz, Caſtellani filius Abogenſis, veniâ Pii II. apud Bernardinos conſecratur Senenſes, in XVIII. Epiſcopum Finlandiæ.

1462. MCDLXII. Nadendalenſes, utriusque ſexus cœnobitæ, â Mag. Conrado ſollenniter inaugurati, ſub perpetuam in diverſis monaſteriis introducuntur clauſuram.

1464. MCDLXIV. Eccleſia Abogiæ cathedralis fulmine accenſa, conflagravit.

1465. MCDLXV. Carolus iterum Sueciæ throno exutus, Rasburgo Finlandiæ, contentus vivere cogitur.

1466. Circa MCDLXVI. Magnus, Abogiæ Præpoſitus, tumulum Magni, & Olai, Abogenſium olim Epiſcoporum, æneâ decoravit laminâ.

1469. MCDLXIX. Johannes Volthuſius XXXVIII. Livoniæ Magiſter.

Circa eundem, Tolsburgum in Wirlandia per hunc fuit Johannem fabricatum.

Vil-

Villa Nadendalensis, hoc tempore, jus obtinuit municipale.

Circa MCDLXX. Castrum in Finlandia Knustense, cum omnibus Ecclesiæ documentis Abogianæ concrematur. 1470.

Circa eundem, Magister Livoniæ nullo captus jure â Crucigeris, Felini ad mortem usque detinetur; quod Deus non liquit inultum.

Circa MCDLXXI. Arcem M. Conradus instaurat Knustensem; Sed monimentorum damna nequit; quæ tamen ego aliquatenus hoc libello compensavi. 1471.

MCDLXXII. Sponsa ex Paleologis, â Constantinopoli per Lubecum, & Revaliam, Moscho adducitur. 1472.

MCDLXXIII. Oppidum, flamma depopulatur Abogense. 1473.

Circa MCDLXXIV. Episcopus urbem post incendium, mediocriter, adhibitâ civium operâ, renovavit, & præcipuè cœmiterium Ecclesiæ. 1474.

MCDLXXV. Ericus Axelsonius, Tottorum unus, Finlandiæ gubernator, civitatem mœnibus & propugnaculis cinxit Wiborgensem. 1475.

Circa eundem, Stephanus, XIV. Rigæ Archipræsul.

Circa MCDLXXVI. M. Conradus in sacello Abogiæ nunc â semet fundato, & cum XII. Ecclesiæ aris initiato, in Divorum omnium honorem, instituit horas B. Virginis, quotidiè canendas. 1476.

MCDLXXVII. Arx nova, seu Lanscrona, vel Burgum dicta S. Olai, ab Erico Axelsonio, Finlandiæ dynasta, ædificatur in Savolacia. 1477.

Bernardus Borchius, XXXIX. Livoniæ Magister hoc tempore.

Circa MCDLXXVIII. Simon, Revaliensium Episcopus, sibi, & successoribus fabricat arces, Borcholmium, & Fegfyrium. 1478.

MCDLXXIX. Johannes Basilius, Russiæ dominator, Novogardensi modò sibi ducatu subjugato, Finlandiam, & Livoniam, crudeliter incursat. 1479.

MDLXXX. Propterea Sueci, & Livones, armis conjunctis, hosticum non minus vicissim infestant, hi Plescoviam obsidendo; Ast illi cum XX. hominum millibus quorum fuit ductor Ericus Axelsonius, ultra in Russiam, hostiliter progrediendo. 1480.

Ericus cum insigni reversus in Finlandiam victoria, mortem oppetiit, & illius frater Ivarus Finlandiæ, contra pactum cum Erico initum, arripuit gubernaculum.

Circa MCDLXXXI. Archipræsul Rigensis, Magistrum ob injurias per illum Ecclesiæ irrogatas, anathematis implicuit vinculo. 1481.

Moschus tali usus occasione, inhumanius multò, quàm ullo unquam tempore, in Livonia impunè grassatur.

Ivarus Axelsonius â Suecis monitus, Finlandiæ resignandæ, minatur; Si ea sibi non relinqueretur, velut fratris hypotheca demortui, se Danum, & Moschum, illis hostes objecturum.

Circa MCDLXXXII. Magister centum millibus hominum stipatus, expugnatam & spoliatam, exurit Plescoviam. Quem hostis insequens redeuntem horribiliores infligit Livoniæ profectò clades. 1482.

MCDLXXXIII. Ivarus, alio in Suecia feudo, seu pignore accepto, se Finlandiæ dominio, non lubens abdicavit, & solum retinuit Rasburgum. 1283.

Circa MCDLXXXIV. Magister nullo impugnat jure Archipræsulem, & vastatâ diœcesi, frustrà Rigam obsidione ligat. 1284.

Circa MCDLXXXV. Archiepiscopus, etiam armis correptis, arces extorsit Crucigeris, Rigensem, & Dynamundensem, illamque solo adæquavit. 1285.

 Sue-

Sueci adverſus Magiſtrum, ab Archiepiſcopo implorati, copias huic ſubmittunt quantocius auxiliares.

Sed Sixtus IV. cauſâ Magiſtri, velut injuſtâ, recognitâ, maledictionis ſubjectum ſententiæ officio, exuit.

1486. MCDLXXXVI. Johannes Frydagius, XL. Livoniæ Magiſter.

1487. Circa MCDLXXXVII. Archipræſul novo congreſſus Magiſtro, ceu anteceſſoris malitiæ mordicus inhærenti, victor evadit. Sed Steno Sueciæ Gubernator, Axelſoniis Rasburgum eripuit.

1488. MCDLXXXVIII. Moſchus, à Dano Sueciam affectante, inſtigatus, Finlandiam infeſtat.

1489. MCDLXXXIX. M. Conradus, Finlandiæ præſul, XIII. Martii, mundo valedixit.

M. Magnus, XIX. Finlandiæ Antiſtes, calendis Aprilis, concorditer electus, XXIV. Junii die, poſt annum conſecratur Upſaliæ.

1491. Circa MCDXCI. Michael, XIV. Rigenſium, & Prutenorum Archiepiſcopus.

1492. MCDXCII. Ivanogrodium, ex oppoſitu Narviæ Livonicæ, in hujus perniciem à Moſcho fundatur.

1493. Circa MCDXCIII. Epiſcopus Abogiæ Magnus, Decanatu inſtituto, archidiaconatum reſtituit.

Danus ſpondet Moſcho Savolaciam, Egrepe & Laſchis, ſi Sueciâ ejus potiretur cooperatione.

1494. MCDXCIV. Moſchus Dani fidens promiſſis, Finlandiam populatur.

Idem tyrannus, quod bini forent Rutheni ob ſcelera plexi enormia Revaliæ, omnes Germanos Novogardiæ mercatores in carceres compingit, non indè liberandos, antequam Senatus ſibi dederetur Revalienſis.

1495. MCDXCV. Moſchus, Finlandiam cum XXX. millibus armatorum invadens, Viburgum obſidet, indeque per admirabile quoddam Canuti Poſſe ſtratagema depellitur.

Volterus Pletenbergius, XLI. Livoniæ Magiſter.

1496. MCDXCVI. ineunte, Carelia & Savolacia, per Ruthenos, Dani partibus ſtudentes, tertiò vaſtantur.

Ac idem, menſe Auguſto, Oſtrobothniam ferro & flammâ pervadunt.

Sueci viciſſim non minus hoſtico vaſtato, expugnatum Ivanogrodium, concremarunt.

1497. MCDXCVII. Johannes, rex Daniæ, regnò potitus Sueciæ, Finlandiam Stenoni Sture in feudum aſſignavit; Sed Moſcus ex illa promiſſas non impetrans ditiones, indignatur.

1498. Circa MCDXCVIII. Præſul Abogenſis, menſam ſuis aſſeſſoribus communem, ſeu convictum, ordinat Canonicis.

1499. Circa MCDXCIX. Caſparus, XVI. Livoniæ, & Pruſſiæ Archiepiſcopus.

Exhumatio, translatio, & honoratio B. Hemingi, ante triennium ab Alexandro impetratæ, cum pompa Abogiæ primum celebrantur.

Johannes rex, Finlandiam Stenoni ablatam injuſtè, ſibi vendicat, hincque diſcordia utrinque exoritur pernicioſa.

Circa eundem, Rigenſes, â Magiſtro iterum ſubacti, caſtrum urbis reſtaurare, & firmare, compelluntur.

1500. Circa MD. Crucigeri, Lithuanis in belli ſocietatem accitis, in Moſcum arma cudunt, quod Livoniam nuper infeſtaſſet.

M. Ma-

M. Magnus, XII. Martii, obiit, ſucceſſorem poſt dies IX. nanciſcens, M. Laurentium.

MDI. Candidatus Finlandiæ, M. Laurentius, XV. Auguſti, conſequitur infulam Upſaliæ. 1501.

Circa eundem, Magiſter ex Lithuania, licet promiſſam cum non acciperet opem, Ruſſiam invadit, quam ut crudeliter devaſtat, ità & hoſtis non minus interea Livoniam.

MDII. Per veris tempus, Rutheni multò horribilius in Livonia graſſantes, plus quàm XL. incolarum millia, cecîderunt. 1502.

Magiſter vicem repenſurus Moſcho, in eum adeò deſæviit, ut cum Livonibus L. annorum lubens acceptaret inducias.

Et ſub tantô â bellis ocio, Livones â priſtina degenerantes virtute, omnibus ſe vitiis contaminarunt.

MDV. Ivan Baſilius, Ruſſiæ deſpotes, morte ſublatus, filio liquit imperium Baſilio. 1505.

MDVII. M. Laurentius, Abogenſium antiſtes, XXVIII. Septembris, vivere deſiit. 1507.

M. Johannes, III. Octobris, cathedram occupans, VIII. Decembris die, fuit Upſaliæ conſecratus.

MDVIII. Is non prius caſtro potitur Knuſtenſi, quàm hæredibus numeraſſet anteceſſoris, CC. Sueciæ monetæ marcas. 1508.

MDIX. Pleſcovia, cum ducatu Moſcovitarum, ſubditur Principi. 1509.

Quando Johannes, Daniæ rex, Finlandiæ ſimiliter ſubjugandæ invigilat; & ſpe fruſtratus, flammas oppido ſubdit Abogenſi.

MDX. Moſchus, fraudulentâ Danorum amicitiâ penitus contemptâ, cum Suecis, nomine Finlandiæ, non infeſtandæ, LX. annorum pangit inducias. 1510.

Epiſcopus Abogenſis, ſeſquiannum viſitationi diœceſis impendit, ex illaque domum reverſus, mortem IX. Junii oppetiit.

Johannes, XVII. Rigæ Archiepiſcopus hoc tempore.

Arvidus Kurck, XXII. Finlandiæ præſul.

MDXIII.. Canonizatio B. Hemingi, veniâ Romani Pontificis, & operâ Suetici metropolitani, & Sudermannici Præſulis, non modicâ conſummatur Abogiæ feſtivitate. 1513.

Magiſter Livoniæ Wolterus, auro apud Pruſſiam effecit, ut nec ipſemet, nec ſucceſſores indè petere feudi inveſtituram obligarentur inpoſterum.

MDXV. Moſchus, â Dano Sueciam affectante, iterum ſeductus, ſpondet Finlandiæ impugnationem. 1515.

MDXVI. Finlandia per Ruthenos, ceu induciarum transgreſſores, infeſtatur. 1516.

MDXX. Chriſtiernus, Daniæ rex, fraudulenter potitus Finlandiâ, non paucos nobilium Finnonum, obtruncavit. 1520.

MDXXI. Arvidus Abogenſium præſul, dum fugâ per mare, tyrannidem evadere Danorum ſatagit, in eo cum plurimis comitum fuit ſubmerſus. 1521.

Guſtavus Erichſonius, Finlandiam Danis extorquere nequicquam conatur.

MDXXII. Idem Sueciæ polemarcha, Danos ibi fortunatius impugnat, utpotè illis indè exturbatis, ſibi Finlandiam ſubjugat. 1522.

Johannes, XXIII. Finlandiæ Epiſcopus, ſed inauguratione caruit.

Martinus Schytte, monachorum Prior Sigtunenſium, generalis Dominicanorum in Suecia viſitator, â Rege, Norvegum deponente Robertum, deſignatur.

No-

Nobiles, & cives Livoniæ Lutheranum amplexi dogma, thesauros Ecclesiarum inprimis diripuerunt.

1524. MDXXIV. Gustavus, Rex Sueciæ, factis cum Mosco induciis, eum â vastanda imposterum Finlandia, diu avertit.

1525. Anno MDXXV. Thomas, XVIII. Rigæ sedit Archiepiscopus.

Circa eundem, Gustavus rex, Johanni cathedræ candidato Abogensis, ceu dogmatis Lutherani adversario deposito, M. Ericum subrogat, XXIV. ibi Episcopum.

In translatione bibliorum Suetica, inter clerum regni distributa, Finlandensi obtigit versio Paulinarum ad Thessalonicenses, & Thimotæum, Epistolarum.

Antistes, decimarum ad belli usus Ecclesiasticarum applicationi, per Regem mandatæ, & stationi militum in cænobiis, communicato cum Lincopensi consilio, audacter fuit reluctatus.

Martinus Lutherus, Livonibus, qui suum essent dogma libenter amplexi, gratulatur, & reliquos ad idem hortatur.

1526. MDXXVI. Comes Johannes ab Hoya, regis sororius Gustavi, Careliam cum arcibus in feudum consequitur.

Clerus Finlandiæ, pro residua Lubecensium solutione, tria marcarum contribuit millia.

Circa eundem, Wolterus Plettenbergius, Livoniæ magister, beneficio Caroli Cæsaris, factus, succussoresque, Imperii Principes, provinciam imperio vicissim subjecit.

1527. Circa MDXXVII. M. Ericus, Finlandiæ Antistes, quod per vicarium, scilicet Vincentium Gadensem Episcopum, suo muneri satisfaceret, innovationi religionis ità obsistendo, à Rege privatur beneficio.

1528. MDXXVIII. Martinus, nobilis genere Finlandus, monachorum Prior Sigtunensium, & Vicarius per Scondiam totius ordinis Dominicani generalis, quòd Lutheri caussæ magis, quam antecessor, fortassis videretur favere, Finlandis Superintendens assignatur.

Is tamen V. Januarii die, per Doctorem Petrum, Sudermanniæ præsulem, Stregnesiæ ordinationem capessens, Pontifici spopondit sanctè obedientiam Romano.

1529. MDXXIX. Novus Finlandiæ Superintendens, in prima Evangelicorum hic synodo, mense Februario celebrata Oerebrogiæ, persuasus, Catholicam cum Lutherana permutavit doctrinam.

Circa eundem, cujus auspicio, M. Petrus Serckelax, in Ecclesias, & scholas Finlandiæ, velut discipulus D. Lutheri, religionis novationem primus invexerat.

Laurentius verò Canutius, primam Abogiæ Missam celebrasse fertur Lutheranam.

1530. MDXXX. Canonicorum reliqui Abogensium, videlicet, M. Johannes, Præpositus; M. Petrus Sylla, archidiaconus, & alii IV, Lutheri constanter sententiæ reluctantes, mandato Regis, in fidei negotio simulare compelluntur.

Qui consuetos retinuerunt aliquandiu proventus, indè quotannis; Sicut & Superintendens, certam Regi dantes pensionem, nempè DCC. marcas tremissium, & CCLXXXVIII. libras butyri.

Præsul, velut cælibem agens vitam, contentus modicâ redituum portione annuorum, ex reliqua, sub D. Lutheri & Philippi, disciplina, VIII. sustentat alumnos; Quorum operâ, domum Witebergâ deinde reversorum, tota sensim Finlandia Lutheranismum fuit amplexa.

An-

Antiſtes oblatam ſibi â Rege inſulam Upſalenſem, XX. Maji, recuſavit.

Finnones libertate freti Evangelicâ, ſe immunes quoque putant à decimis, & aliis Clero ſportulis ſolvendis. Ideoque eas impoſterum dare abnuunt; Sed XXV. Julii, mandato Regis minaci coguntur.

Guſtavus rex, accepto â Nadendalenſi Antiſtita, inſigni chryſendeto, tantum de ſublatis reſignat illi proventus cœnobii, quantum ſuſtentationi grandævorum in utroque conventu ſufficeret.

Circa MDXXXI. Ex mobilibus & immobilibus Eccleſiæ & Cleri per Finlandiam bonis, non mediocriter Sueciæ locupletatæ fuit Respublica. 1531.

Campanæ pro ſolutione Lubecenſium, ex Finlandiæ Eccleſiis accipiuntur.

Wilhelmus, Marchio Brandenburgenſis, XIX. Livoniæ, & Pruſſiæ Archiepiſcopus.

MDXXXII. Idem â Lutheranis perſuaſus, Reinoldo Lealenſium Epiſcopo, Vichiam armis eripuit, quam ſuaſu magiſtri, non reddidit. 1532.

Cœnobium Revaliæ monialium, incendio, per Lutheranos procurato, extremam capit ruinam hoc tempore.

MDXXXIV. Vaſallus Regis, in Carelia Johannes comes, Lubecam cum uxore & liberis, profugit, moxque Guſtavus Wiburgum, & Nyſlottium, illius præſidio extorſit. 1534.

Item Finnos, Clero decimas amplius pendere nullatenus volentes, denuò arguit contumaciæ, minas addendo, niſi morigeros ſe præberent.

Circa MDXXXV. Wolterus Plettenbergius, hominem exuens, ſucceſſorem obtinet Hermannum, XLII. Livoniæ Magiſtrum, & II. Livoniæ principem. 1535.

MDXXXVI. Revalienſes, Nobilesque Harrigiæ, Magiſtro ſequeſtro reconciliantur, quos inter hactenus gravis ferbuiſſet ſimultas, quod hi jure ſuo per illos ſibi non licere in oppido frui quererentur. 1536.

MDXXXVII. Illuſtris heroina, Margareta, Joachimi Brahe, & Johannis ab Hoya comitis, vidua, ſororque Guſtavi regis, Revaliæ moritur exul, & humatur. 1537.

Induciæ inter Suecum, & Moſchum; in gratiam Finlandiæ, renovantur.

MDXXXVIII. Guſtavus rex, novis motus querelis Cleri Finnonici, acrioribus monet Laicos literis, XXVII. Maji, ut decimas illi omninò ſolverent, alias mulctandos. 1538.

Circa MDXLII. M. Michael Agricola, cum ſcholæ ageret rectorem Abogiæ, novum tranſtulit Teſtamentum Finnonicè, quod prodiit in lucem temporis progreſſu. 1542.

MDXLIII. Pſalmi Davidis, & Lutheri Catechiſmus, translatore M. Michaële, in lingua Finnonica, divulgantur. 1543.

MDXLVI. Civitas igni abſumitur Abogenſis, ſimulque Eccleſia, XXI. die Martii. 1546.

MDXLVII. Riga idem perpeſſa fuit infortunium. 1547.

MDXLIX. Johannes Rechenſis, XLIII. Magiſter Ordinis, & III. Livoniæ Princeps. 1549.

M. Michaël Agricola, Miſſale, Manuale, & Dominicam Finnonicè paſſionem, typis publicavit.

MDL. Moſchus cum CC. hominum millibus, Finlandiam tempore induciarum, perfidiſſimè, juxta ac crudeliſſimè populatur. 1550.

Helsingforsium, Nylandiæ civitas, â Rege Gustavo, fundatur.

1551. Circa MDLI. Wilhelmus, Livoniæ Archiepiscopus, templi usum cathedralis, aliquot millibus aureorum acceptis, ad generale usque concilium, permisit Rigensibus Lutheranis.

Henricus Galensis, XLIV. Magister, & ità IV. Livoniæ princeps.

Moschus, Casanensi, & Astrachanensi, potitus regnis, (quibus hactenus impugnandis distentus, inducias cum Livonibus pactas, observat) his cœpit modò bellum meditari.

1552. MDLII. Induciæ inter Livones, & Ruthenos, expirarunt.

Lubecenses veteribus non permissi privilegiis uti Revaliæ, gravem huic controversiam moverunt.

Abogia flammarum voracitati denuò succubuit.

1553. MDLIII. Ignis quoque Episcopium fuit Revaliense populatus.

Moschus novas abnuit Livonibus inducias, per Legatos illorum submisse compellatus, nisi annuum sibi vectigal vellent pendere.

Nec etiam cum Sueonibus, volens diutius pacisci, Finlandiam incursat.

1554. MDLIV. Moschus, â Livonibus de induciis utrinque renovandis, iterum rogatus, in trilustres eâ consentit lege, ut intra triennii demonstrarent spacium, & præcipuè Dorpatenses, quod non obligarentur sibi dare tributum.

Livones propterea non fidentes dolosis Moschi induciis, cum Rege Sueonum fœdus in illum, velut hostem, pangunt communem.

Finlandia in binas dividitur Episcopas, Abogensem, & Wiburgensem; Illi quidem M. Michaël Agricola; huic autem, M. Paulus Justen, â M. Bothvido Stregnesiæ initiati, præficiuntur. Illeque quod primitias celebrasset Abogiæ, pompâ fermè Catholicâ, in Regis incidit indignationem.

1555. MDLV. Moschus in Finlandiam irrumpit, contraque illum Suecus processit, Livonibus non comparentibus. Quibus Gustavus jure propter tantam succensens perfidiam, cum Polono in eundem confæderatur.

Ordines Livoniæ, ità fidei turpiter, & periculi, non memores impendentis, intereà consultant, quomodo vir ignobilis, cum fæmina nobili, se gerere in publica obligaretur, chorea.

Martinus, Finlandiæ primus Antistes Evangelicus, XXX. Decembris, longævam vitæ clauserat periodum.

M. Michaël, in vacua succedit cathedra, ordine secundus præsulum, Abogiæ Evangelicorum.

1556. MDLVI. Moschus, ut Careliam recuperaret, ceu membrum provinciæ Novogardensis, nuper occupatæ, Viburgum in Januario impugnat; Sed plus retulit, quam intulit damni. Quam ob causam, sicut etiam, ut metu Suecorum liberatus, Livones fortunatius expugnaret, pacem à rege postulat Gustavo.

Archipræsul Rigensis, ut Moschi, Magistri, & Lutheranorum, prævaleret insolentiæ, se voluit Polono subdere. Ideoque â Crucigeris impugnatur, & demum capto ab illis fert opem rex Poloniæ, & illius frater, Prussiæ dux, armatam.

Moschus hanc Livonum discordiam, sibi percommodam ipsos subjugendi ratus, tale ab iis exigit vectigal, quale non admissuros, & potius secum bellaturos, probè animadvertit.

1557. MDLVII. XXI. Martii die, Suecus cum Moscho subscripsit pacificationi.

M. Mi-

M. Michaël, Finlandiæ Antiſtes, & unus Commiſſariorum in Ruſſia Suecicorum, indè rediens, in via animam exhalavit.

M. Petrus Fullingus, III. Abogiæ Præſul Evangelicus.

Wilhelmus Furſtenbergerus, XLV. Livoniæ Magiſter, & Princeps.

Circa eundem, quidam alienigena, Livoniam nudus fermè oberrans, incolas ad pœnitentiam hortatur, & mala ſuper illos ventura, prænunciat.

Moſchus, quod ſecum non transegiſſent ex pacto Livones, per triennium evolutum; tributum nec ſolviſſent promiſſum, & neque jura ibi vetera Ruthenorum, templave ſuis permitterent, bellum illis denunciat.

Quamobrem Magiſter, ut tanto expeditius occurreret hoſti, cum Archiepiſcopo, Polono, & Pruſſo, in gratiam, Cæſare ſequeſtro, rediit.

MDLVIII. Moſchus cum CCC. millibus Ruthenorum invadit Livoniam; tributum ſerò oblatum repudiat; Derpatum, Narviam, & Weſenbergam, aliasque non paucas occupat ibi arces, & reliquarum præſidiarios; inprimis verò Rigenſes, ac Revalienſes, opem Dani fruſtrà implorantes, ſpontaneæ admonet deditionis. 1558.

MDLIX. Gothardus Ketlerus, XLVI. Livoniæ Magiſter, & Princeps. 1559.

Is comparato non mediocri exercitu, Moſchum ex Livonia profligare nequicquam conatur.

Rex Tartarorum, miſſo ad ipſum legato, hortatur, ut hoſtem ab occidente armis fortiter diſtineret, dum ipſe ab oriente, non minus gnaviter eundem invaderet. Verum Deus, graviſſima Livonum punire volens peccata, conſilio ſperatum denegavit ſucceſſum.

Johannes Monchuſius, Curlandiæ, & Oſeliæ, Antiſtes, tyrannidem formidans Moſchi, utramque deſerit Epiſcopam; quas Danus ſibi oblatas in favorem Magni fratris, acceptat.

Porrò Derpatenſium præſul, Hermannus, in Moſcoviam captivus abducitur, cum multis Livonum millibus, ibique in carcere moritur.

Mercatores Vandalici, & nationum occidentalium, conſuetâ cum Revalienſibus, velut bello diſtentis, negotiatione omiſſâ, Narviam cœperunt navigare, Magiſtro fruſtrà illud prohibere ſatagente.

Limes inter Ruſſiam, & Finlandiam novus fuit poſitus, vigore transactionis nuperæ;

MDLX. Moſchus infeſtat Livoniam, & arces in illa plurimas, metu ſui magis, quam armis occupat; Hasque inter Felinum, & in hoc provinciæ armamentarium, cum Magiſtro ſeniore, ibi ob ſenium deliteſcente, inque captivitate deinceps mortuo, accepit. 1560.

Intereà, tempore veris in Livoniam appellens Magnus, Holſatiæ princeps, admodum juvenis, fit adminiſtrator Curonenſis, & Oſilienſis, Epiſcopatuum, moxque Revalienſis; Sed titulo tenus. Cui etiam unus Crucigerorum, metu Moſchi perculſus, dominium tradidit Oſiliæ politicum.

Nec minus aliis Livonum fuit quoque gratus illius eò adventus, utpotè confidentium, provinciæ ſalutarem fore ob Moſchi cum Dano amicitiam; Et propterea certatim ejus ſervitio ſe mancipantium. Sed opinioni non reſpondit eventus, Moſcho pariter Magnum incurſante. Ideoque gaudium cum luctu permutatur.

Illud verò non contigiſſet, novo infortunium principi, niſi cum Archiepiſcopo, & Magiſtro, Parnaviæ nuper habuiſſet conſultationem, de Ruthenis indè profligandis, quæ Tyrannum tantoperè exacerbavit.

Proindè Livones, potentiorem ſui defenſorem contra Moſchum objecturi, pars illorum ſibi Suecum, & pars elegit Polonum. Illi ſiquidem Eſthones, cum Revalienſibus ſe decreverunt ſubdere.

Sed huic Magiſter, Curlandiæ Dux, & Comes Semigalliæ ab eo creatus, ſe, & reliquum Livoniæ ſubmiſit. Ita ceſſavit ordo Crucigerorum in hac Venedia, de cujus dominio Suecus, Danus, Polonus & Moſchus, impoſterum colluctantur.

1561. MDLXI. Urbs Revalienſis, Regem Sueciæ agnoſcit dominum; Sicut & Eſthonum reliqui, non arx, quam ideò, ſimulque Padiſum, ſibi armis ſubdidit, nequicquam Cæſare, Dano, Polono, & Moſcho, propterea indignantibus,

Johannes, Erici frater regis, dux evadit Finlandiæ, & ut fratrem non timeret domi, nec foris Moſchum, in illos captat opem ex Polonia, ſorore Sigismundi regis in conjugem poſtulatâ.

1562. MDLXII. Ericus, ut Magnus, cum provinciis in Livonia obtentis, ſe regno Sueciæ, non Daniæ ſubmitteret, fruſtrà illi perſvadere conatur.

Sed Parnovienſes, ferro & auro compulſi, Sueco ſpondent ſubjectionem.

Moſchus propter Livoniam offenſus, ægrè conſenſit biennalibus cum Erico induciis.

Johannes, Finlandiæ Dux, Vilnæ, IV. Octobris, nuptias cum Catharina, Poloni celebrat ſorore. Quando affini novo, CXXIV. millia thalerorum, arcibus in Livonia IV. in pignus acceptis, ſcilicet Ruinenſi, Carchuſenſi, Helmetenſi, & Ermeſenſi, mutuavit.

Chriſtopherus, Dux Megapolenſis, & coadjutor Archiepiſcopi Rigenſis, hujus diœceſin impugnat exercitu Suetico, vaſallus in ea regis Erici, & ſororius futurus.

Alio interim exercitu Huitenſtenum, rex Ericus expugnavit, & tertio, infeſtavit Lubecenſes, quòd Narviam, non Revaliam, quam hac in negotiatione vellet promotam, velificarent.

Danus, Polonus, Moſchus, & Lubecenſes, Sueci invidentes ſucceſſibus in Livonia, in illum confœderantur.

Suanto Comes, in Eſthonia fit Gubernator ex Svecis primus.

1563. MDLXIII. Ericus, quòd ſuſpectum haberet fratrem, Finlandiæ principem, conjurationis cum hoſtibus, & præſertim Polono, eum in quadriennalem conjecit carcerem. Moſcho fœdus in Polonum obtulit, & contemptus, bellum nihilominus in illum continuat; novum cum Dano, & Lubecenſibus, inchoat.

Dux Chriſtopherus, in ſuo contra Archiepiſcopum bello Rigenſem, captus, quinquennio in Polonia detinetur.

Suecus, bello Polonis, ſub Polocia cum Moſcho diſtentis, VIII. in Livonia illis extorſit arces, quarum aliquæ Duci eſſent Finlandico, etiam oppignoratæ.

Quandò Habſalia, Epiſcopi ſedes, Magno principi â Suecis eripitur, & diripitur, præcipueque cathedralis Eccleſia, atque Catholico inde dogmate, & hujus ſectatoribus, expulſis, Lutheranum introducitur.

Impoſterum ſub Sueonum in Eſthonia dominio, Epiſcopi fuerunt ſucceſſivè Revalienſes, & Adminiſtratores Habſalienſes, inprimis

mis Johannes von Gelderen; deindè Christianus Agricola; David quidam Duberchius, & demum Nicolaus Gasa.

Moschus autem potius arte, doloque, quam marte Livoniam meditans subjugare, fraudulenter cum Dano concludit, Magnum, acceptâ ex Russia uxore, regem Livoniæ creandum.

M. Petrus, Finlandiæ Antistes, velut fautor Ducis captivi, â Rege deponitur, nimiæ simul avaritiæ illum accusante.

M. Paulus Justen, IV. Abogiæ Episcopus Evangelicus.

M. Ericus Herchapæus, II. Wiburgensis.

MDLXIV. Sueci, per diuturnam obsidionem, Lodio tandem potiuntur. 1564.

Transactio controversiæ, Suecos & Polonos inter, frustra tentatur.

Quidam Pseudopropheta, Esthoniæ persuasit agricolis, die Jovis imposterum, non esse feriandum.

MDLXV. Miles Livoniæ Germanicus, â Sueco exautoratus, illi Parnaviam fraudulenter eripuit. Quem Sueticus exercitus sub Revalia inprimis; deindè Parnavia, insigniter profligavit. 1565.

Moschus similem timens fraudem Dorpati Germanorum, omnes illorum indè transtulit in Russiam.

MDLXVI. Sueci, omissâ Parnaviæ impugnatione, quod Polonos obsessis venire subsidio intelligerent, Osiliam invadunt; quos hostis inde profligat, & Vichiam Sueciæ, vicissim vastat. 1566.

Contagiosa pestis lues, non minus Livones afflixit, quam gladius hostilis.

MDLXVII. Poloni victoriâ de Suecis potiti, Vichiam, & Harriam, populantur. 1567.

Riga nullatenus Polonis subesse volens, ab iis propterea, sed vàno conatu, obsidetur.

Moschus, agit spectatorem concertationis de Livonia Sueopolonicæ, deinde bellatorem acturus, quando competitores essent magis defatigati.

Idem promisso regis Erici impiissimo, de conjuge Ducis Finlandici, prius postulata; sed à Polonis negata, sibi nunc assignanda, invitatus, Legatos, illam marito abstractam, ad se perducturos, in Sueciam expedivit.

Secus verò, per Dei gratiam accidit, cum Dux incolumis, uxor & liberi, pristinâ sint mox libertate donati.

MDLXVIII. Polonus, tempore veris Revaliam, XII. classe navium, aliquandiu oppugnat. 1568.

Sueci autem, fortunatius Sonnenburgum sequenti obsidentes æstate, illo potiuntur.

Cæterum fortunatissimè, Johannes, Finlandiæ dux, cum Erico fratre præliatur; utpote, quem captum, & regno exutum, in vincula conjicit, regnique thronum ille conscendit.

Gubernator Estoniæ II. Henricus Clausonius à Kanchas, cognito Sueciæ statu, inducias cum hoste paciscitur.

Novus rex, mense Novembri, Gabrielem Christiernsonium, à Mœrby baronem, illi subrogat, III. in Estonia Gubernatorem. Quandò simul per literas, Rex impiam Moscho Legationem exprobat; suum & Erici statum significat, & ad pacem invitat.

MDLXIX. Moschus suam excusat subdolè legationem ad Ericum, & pacis se cupidum simulans, ità suos hinc recipit legatos; & simul Sueticos, quos tot annis captivos detinuit, quot sui fuissent in Suecia. 1569.

Idem per viros genere nobiles, ex Livonia profugos, conatur minis & blanditiis persuadere Revaliensibus, â Regno Sueciæ defectionem.

Danus, & Lubecenses, in portum classe delati Revaliensem, armis eosdem ad suas pertrahere partes nituntur.

Moniales sub Revalia Brigittinæ, prædia per Henricum Clausonium, inique sibi nuper subducta, novæ auxilio Reginæ Catholicæ, receperunt.

1570. MDLXX. Arx Revaliensis, â fautoribus Dani, & Moschi, per fraudem occupata, post aliquot hebdomadas, recuperatur.

Sicut etiam Lealia; Ideoque Moschus indignans, Vichiam Sueciæ, ferro & flammâ pervadit.

Qui accitum in Russiam, Magnum principem, eo consilio Livoniæ constituit regem, ut per eum, velut incolis gratiorem, illâ potiretur commodius.

Itaque rex ille personatus Livoniæ, mox indè cum grandi remissus exercitu, XXX. septimanis, Revaliam, & Huitenstenum vano conatu impugnavit.

Idem consobrino regi Erico, Abogiæ captivo, simulque Moschus ipsemet, spondent liberationem, clàm ab illo per nuncium rogati.

Decembri mense, ità fuit Rex Sueciæ, suis reconciliatus adversariis, ut Cæsar, qui Esthoniam, quod imperio fuisset olim incorporata, sibi vendicavit; illam, solutis Johanni sumptibus bellicis, recuperaret, Dano sub tutelæ nomine deinceps permittendam; Et Polonus similiter Livoniam, Curlandiamque.

1571. MDLXXI. Rutheni cum insigni damno, ignominiaque, Huitensteno & Revalia abeunt, reliquamque Esthoniam, & Finlandiam, velut procella idcirco pervadunt.

Cæsariani, Sueci & Dani, ex condicto Roschildiæ, de Esthonia colloquentes, ne convenientes, litem relinquunt indecisam.

Magnus, & sectatores, ex Livonia nobiles, â Moscho defectionem meditantur, quod fraudulenter illum agere intelligerent, & â Sueco graviter armis premerentur.

Moschus hominum superbissimus, aliquamdiu calumniis cum Sueco impudentissime, & inde armis per annos fermè XX. ob captivum Ericum; negatam sibi reginam Catharinam; & Esthoniam; Legatosque in Svecia captivatos, perfidissime belligeravit.

1572. MDLXXII. Idem tyrannus, nisi rex Johannes, Esthoniam sibi prius assignaret, non esse ullam pacis spem literis significat; Sed belli incomparabilis.

Quem rex Sueciæ anteversurus, reducto ex Finlandia Erico, ne per Moschum ibi liberaretur, & misso in hosticum exercitu, sævissimè in eo grassatur. Nec minus in Esthonia Moschus, mense Decembri, cum LXXX. millibus, illam invadens.

1573. MDLXXIII. illucescente, Huitenstenium eripuit Suecis, in quos desæviit Moschus inhumanissime; indeque hostium copias in Vichiam emissas, nostri feliciter aggrediuntur, quarum VII. millia cecîderunt, reliquis fugâ in Russiam difficulter evadentibus.

Quâ suorum consternatus clade Tyrannus, remissis tandem nostris legatis, quorum fuit unus M. Paulus, Finlandiæ Præsul, se pacis cupidum declarat, & inducias, transactioni necessarias, amice postulat.

Interim sibi Magnum reconciliaturus, & inescaturus magis, Livonesque per illum, initio veris, cognatam ipsi suam desponsavit.

Mo-

Moſchus, audito Scotici exercitus in Eſthoniam adventu, magis percellitur, & propterea ſuam de transactione, quantocyus maturanda, renovat petitionem, induciasque ad Pentecoſten usque impetrat, ut interim de illa concluderetur.

MDLXXIV. Sueci & Rutheni, de loco tractationi idoneo non convenientes, mutuis ſe cladibus afficiunt in Livonia, in hujus incolas præcipuè vergentibus. 1574.

In Regis Suecici exercitu, tanta inter Germanos & Scotos, oboritur contentio, ut horum MD. fuerint ab illis trucidati.

Naves XVI. Lubecenſium, quod Moſcho, contra edictum regis Johannis, commeatum advexiſſent, Narviâ cum præſtantibus redeuntes mercibus, intercipiuntur.

Claſſis Suetica ſub Narviam delata, ut illam hoſti eriperet, fœdè â tempeſtatibus ibi jactatur.

Suecos & Ruthenos inter, per autumnum, & anni reliquum, de pace, vel ſaltem induciis utrinque conſtituendis, tractatur.

MDLXXV. Induciæ inter Suecum & Moſchum biennales, quoad Finnoniam, non Eſthoniam, ſanciuntur. 1575.

Hinc Revalienſes, ſibi magnoperè â Moſcho timentes, opem Cæſaris, & Regis Danici, implorant; quibus ideò Suecus indignatur.

Quorum Danus legatione; ſicut & Moſchi, animatus, Habſaliam, Lodium, & Lealiam, promiſſo Germanis ſalario, propter quod à Sueco illis eſſent oppignoratæ, ſibi ſubdit.

Magnus, Saxoniæ Dux, Sonnenburgo in feudum, velut ſororius, à rege Johanne, donatur. Sed poſt vaſalli abitum, Danus illud contra vigorem occupavit transactionis Stetinenſis.

Perfidius tamen interea pergens Moſchus, nec Finnis, nec Danis parcit; multò minus Suecis hoſtibus; Parnaviam capit deditam, & monaſterium ſub Revalia Brigittinenſium, exurit.

MDLXXVI. Idem Habſaliam, Lodium, Lealiam, & Ficheliam, Dano amico; Sed Sueco inimico, Padiſum extorſit, hocque Sueones impugnando, fruſtrà recuperare nituntur; ut & Moſchus, blandis Revaliam literis ſimul expugnare. 1576.

Tantundem effecit ſuis Cæſar apud Tyrannum, in cauſa Livonum; ut neque ſuis Rex Sueciæ, quibus pacis ſecum ineundæ ſeriò illum admonuit.

Johannes rex, infeſtâ cogit Rigenſes claſſe, vetera ſibi nomina perſolvere.

M. Paulus Juſten Præſul Åbogenſis, XXII. Auguſti hominem exuit, & VII. annis vacavit deinceps cathedra.

MDLXXVII. Moſchus, primis menſibus, Revaliam VII. impugnat hebdomadibus, & ſimul Finlandiam, induciis nec dum finitis, infeſtat, ac utrobique grandes paſſus eſt clades ſuorum; velut etiam Mariendalenſe, prope Revaliam, cœnobium, quod hoſtis ſolo adæquavit. 1577.

Moſchus, per anni reliquum, cum rex Stephanus, bello eſſet in Pruſſia diſtentus, totam ferme Polonicam ſubjugavit Livoniam, præſidio ubique deſtitutam.

Magnus princeps, illius affinis, quòd haberetur ſuſpectus colluſionis cum Polono, ſuam, & ſuorum vitam, XL. millibus aureorum, compellitur redimere, nec amplius Tyrannum convenire dignatur.

Suecus, nec à bello hactenus feriatur, qui non ſolum Livoniam incurſat Ruthenicam; ſed etiam clade memorabili per ſuam claſſem Narviæ inflictâ, ipſam longè lateque Rutheniam.

MD-

1578. MDLXXVIII. Præsidium D. Magni, fugà illius cognitâ, quod etiam Moschi formidaret tyrannidem, Suecis Overpaliam prodidit, apud quos captavit refugium.

Sueci & Rutheni, vicissim in Estonia se impetunt; hique Overpaliam recuperant, & illi suburbium concremant Dorpatense.

Qui juncto deinde cum Polonis exercitu, XVIII. Ruthenorum millia, Vendam obsidentium, profligarunt, spoliarunt, & VI. illorum millibus occisis, urbem liberarunt.

1579. MDLXXIX. Moschus, ob cladem sub Venda suorum, formidabile parat bellum in Livones, Curlandos & Prutenos, idque resciens Polonus, Russiam ab una invadit parte, ubi VII. hosti arces extorsit.

Ab altera verò Suecus, qui Jvanagrodium exussit; sicut & suburbium Narvense, prius tamen opibus spoliata. Sed ipsam frustra impugnat Narviam; non autem Moschus, Harrigiam Esthoniæ, utpotè, quam damno vicissim inæstimabili mulctavit.

Rex Johannes igitur, ut hostem compesceret, in ipsum Chrymæos instigavit Tartaros, & Polonum simul in eundem animavit, indeque res Moschi ad ruinam inclinavit; quo cum rex Stephanus, impensè licet rogatus, pacem inire recusavit.

1580. MDLXXX. Suecus & Polonus, affines, in Moschum, velut hostem communem, pacto fœdere, illum diversis oris egregiè divexerunt.

Utpotè cui ille, V. Novembris urbem & arcem Kexholmensem, & XXVIII. Decembris, Padisum Esthoniæ armis eripuit.

1581. MDLXXXI. Riga, Livoniæ metropolis, hactenus Polono minùs morigera, obtenta immunitatum confirmatione, XIV. Januarii die, illi panditur.

Sed Lenevardam, & Ascheradum, armis deinceps assequutus, Plescoviam obsedit. Cujus instinctu; sicut etiam regis Johannis, Tartari Chrymenses intereà Russiam orientalem ferocissimè infestarunt. Quibus ideò promissa Suecus salaria, & niceteria, magni precii, donavit.

Nec minùs idem hostes afflixit, quam Polonus, & Tartarus, cum illis IV. Martii, Vesenbergam, & VIII. Martii, Tolsborgum; in Julio, Lodium, Ficheliam, Lealiam, Habsaliam; & Augusto, Narviam; Septembri, Jvanogrodium, Jamagerodium; Octobri, Coporiam; & Novembri, Huitenstenum, potenter extorserit, vastatoque Novogardiam hostico, Parnoviam Livoniæ cinxerit obsidione.

Polono autem sub Plescovia, globorum, pulveris tormentarii, & peditum inopiâ valdè laboranti, defert auxilium. Quod ille renuit, invidens Sueci victoriis, eumque dehortans ab infestatione Livoniæ, quam Polonici esse juris, non Suecici, sat imperiosè, asseverat.

Nisi porrò hæc inter reges oborta fuisset controversia, & si pacem cum hoste Polonus, socio belli non sat honestè deserto, non inivisset, illi non Livoniam modo, sed totam quoque Russiam subduxissent.

Quod magnopere formidans Moschus, Romano spondet Pontifici, se cum regno fore Catholicum, si per illum titulo esset Cæsareo donatus, & Polono reconciliatus. Huic autem consensit Gregorius XIII, transmisso ad Stephanum Antonio Possevino.

1582. MDLXXXII. Rex Stephanus, sequestrum non segniter Possevino utrinque agente, in gratiam cum Moscho, XV Januarii, redit, cum sibi resignasset in Livonia ille, XXXIV. urbes & arces, cum subjectis provinciis.

Itá non admodum laudabiliter armis Moschi socium affinem, non modò objecit, verum quoque arces, illi legitimè oppignoratas ab antecessore,

ceſſore, Carchaſium, Ruinum, & Helmerum, bello abſtulit, Parnoviamque capit deditam. Atque per anni reſiduum, literis cum eodem, & legationibus, de Eſthonia belligerat, hancque ſedarunt litem, uxores, germanæ ſorores, nempe Anna & Catharina.

Interim rex Stephanus, etiam Livoniæ intentus, & IV. Martii, Rigam ingreſſus, multum ibi, & alibi agit de Catholico per Livoniam dogmate iterum reſtituendo. Vendæ cathedram, & Epiſcopum conſtituit orthodoxum; Kochenhuſii Eccleſiam aſſignat Catholicis; Rigæ, & Derpati, Patribus de ſocietate Jeſu, collegium, plebeculâ nequicquam renitente, non Poſſevino, qui gnaviter fidei urgebat negotium Catholicæ. Tamen indulſit rex Livonibus, ut aliquandiu Lutherana ſimul ibi remaneret. Sed Nobiles ex Livonia meditatur eliminare, affirmans illos omnium in ea hactenus turbarum, eſſe autores, deque hoc conſultans negotio cum rege Johanne. Cui diſplicuit, quod Nobilium eſſet Livonum amantiſſimus.

Qui bellum continuat in Moſchum, in autumno Notheburgum impugnans, & non expugnans, ob temporis, ac loci iniquitatem.

MDLXXXIII. Sueones hoſticum repetunt, cui non modicam inferunt cladem, hacque Moſchus commotus, cœpit cum illis de pace tractare, inprimis inducias faciens bimeſtres, & demum biennes. 1583.

M. Ericus Gevaliæ ludirector, Finlandiæ conſecratur Antiſtes, Catholicâ fermè pompâ Upſaliæ, VIII. Septembris, ſub quo per Eccleſias Finlandiæ, Liturgia capit incrementum.

Cæterum XVIII. Martii, Magnus, Holſatiæ dux, & adminiſtrator Curonenſis, Oſelienſis, & Revalienſis, diœceſium, rexque, ſi Diis placet, Livoniæ, vitam clauſit tumultuoſam. De cujus provincia Danus & Polonus dein litigantes, duce Pruſſiæ ſequeſtro, amicantur.

Gubernator Livoniæ Polonicus, in caſtro delegit manſionem Rigenſi.

MDLXXXIV. Johannes Baſilius, Ruſſiæ crudeliſſimus tyrannus, XXVI. Martii, infelicem efflavit animam. Cui ſucceſſit Theodorus, natu major filius. 1584.

Fridericus, Daniæ rex, Oſeliam à Johanne Munchuſio, ibi quondam Epiſcopo, emptam, Georgio Farensbecio, in feudum tradidit.

Gregorius XIII. Pontifex Romanus, pro Livonum converſione ſeminarium Derpati fundavit.

MDLXXXV. Plebecula Rigæ, propter inductos ibi Jeſuitas, ſummoperè tumultuatur, & mox ſedatur. 1585.

Stephanus, in comitiis ordines Poloniæ Varſavienſibus, ad pellendos ex Livonia Suecos & Danos, fruſtrà permovere conatur.

M. Chriſtianus Agricola, Michaëlis olim in Finlandia Præſulis filius, Eſthoniæ præſidet Epiſcopus. Qui dubio procul, dat operam Liturgiæ ibi Suecanæ etiam propagandæ.

MDLXXXVI. Inter Suecum & Polonum, nonnihil adhuc diſſidentes, ità convenitur, ut proximo autumni tempore, per Commiſſarios utriusque, omnis tranſigeretur controverſia. 1586.

Rigenſes, quod Stephanus illis fidem obtrudere catholicam, cum Gregoriano Calendario, adniteretur, ad regem deficere Johannem taciti meditantur.

Induciæ inter Suecum & Moſchum, quadrimæ propter Finnoniam & Eſthoniam V. Novembris Jvanogrodi ſanciuntur; indeque noſtris abeuntibus accidit Commiſſariis, quod unus illorum, ſcilicet, Pontus de la Gardie, ſubmergeretur, Revaliæ ſepultus.

Intereà temporis Poloni, quod Suecos in colloquio cum Ruthenis occupatos, æquo diutius, Parnaviæ viderentur expectasse, domum indignabundi dilabuntur.

Stephanus rex, cum exercitu, in Suecos, & rebelles usurpando Rigenses, adproperat, Grodnæque mortuus, non modicum adversarios exhilarat.

1587. MDLXXXVII. Illustris Curlandiæ princeps, Gothardus, XVII. Maii die, claudens quoque vitæ periodum, filium nanciscitur successorem, Fridericum.

Johannes, Sueciæ rex, Magnus Finlandiæ dux, Estoniæque dominus, cum frustrà hactenus de unione Suecanæ laborasset Ecclesiæ cum Romana, illam cum Græcana statuit uniendam. Quo in negotio, M. Ericum, Finlandiæ antistitem, illuc ablegasset, nisi quoddam intervenisset impedimentum.

Serenissimus princeps Sigismundus, Johannis unicus regis filius, quod illustri Jagellonum esset prosapiâ oriundus, IX. Augusti, eligitur Varsaviæ in Poloniæ regem, Livoniæque dominum, & XVII. Decembris, solenniter anademate redimitur Cracoviæ.

Qui licet toto processus tempore inauguralis, de incorporanda Poloniæ, secum Esthonia, magnopere molestaretur; tamen consensum præcisè denegavit.

1588. MDLXXXVIII. Rex Sigismundus, XX. Januarii, firmissimis ad ordines Sueticos literis transmissis, spondet, abalienationi Esthoniæ, à regno Sueciæ, se nullo unquam tempore, subscripturum.

Inter patrem, & filium, non sat cum Polonis contentum, de colloquio Revaliæ instituendo sequenti anno, deliberatur. Cui quidem obtenditur consultatio, de Moscho mutuis armis compescendo, velut causa potissima; Sed Sigismundi in patriam reductio, fuit verissima.

1589. MDLXXXIX. Moschus, quod sibi non permitteretur, â Sueco arces, & provincias, argento redimere ablatas, induciis modò ad finem properantibus, ferro, belloque illas decernit recuperare.

Magnoperè tamen formidat, Sueonum cum Polonis amicitiam, & colloquium Revaliæ, inter illos propediem habendum, quod de suo ibi capite non ignoraret consultandum.

Sigismundus rex XXVIII. Augusti die, Revaliæ incredibili affectu paterni amoris susceptus, aliquandiu cum parente de Ruthenis deliberat comprimendis; quibus cum bimestres solum induciæ, ad V. Januarii prorogandæ diem, impetrantur. Postea de negotio potiore, multò consultatur vehementius, atque Senatu regni utriusque, regum votis se acrius opponente, concluditur Sigismundi cum Polonis reditus, XXX. Septembris institutus; & post temporis paululum, in Sueciam regis Johannis, etiam mœstissimus contigit.

1590. MDXC. Non successit transactio inter Suecos & Ruthenos, quod ab utrisque essent induciæ violatæ, & illi precium pro arcibus, terrisque hosti sublatis, accipere nollent.

Itaque Theodorus, Russiæ dux, cum triplici, eoque numerosissimo adveniens exercitu, uno Finlandiam, altero Esthoniam, & tertio impugnat Narviam.

Carolus Henricius, Sueonum ibi Castellanus, quod Wesenbergâ nullum acciperet subsidium, ubi Sueticæ delituissent copiæ, ob tantam hostis potentiam non audentes prodire, XXVI. Februarii, annuas paciscitur cum Moscho inducias, actutum Narviæ obsidionem soluturo, & Ivanogrodium, Coporiamque, à Suecis dedenda, recepturo.

Quam

Quam cum hoste transactionem, velut se inscio, inconsultoque factam, Rex Sueciæ improbat, & Carolo eam propter in vincula conjecto; ac grandi foris domique exercitu collecto, Ivanogrodium, fratris operâ Caroli, frustrà obsedit.

Moschus proindè, post abitum illinc Sueonum, Finlandiam & Esthoniam, per Ruthenos; Sed Podoliam, per Tartaros, crudeliter infestavit. In quem Suecus & Polonus, Chrymenses vicissim Tartaros immiserunt, non minus hostico cladium sanè inferentes.

MDXCI. Poloni, & Chrymenses Tartari, à Suecis de ope, contra Ruthenos ferenda iterum compellati, promptiorem hi quàm illi, spoponderunt. 1591.

MDXCII. Rex Sueciæ Johannes, magnus Finlandiæ princeps, & Esthoniæ dominus, per mortem è vivis abripitur Stockholmiæ, XVII. Novembris. 1592.

Carolus, Sudermanniæ Dux, absente rege Sigismundo, throni hærede legitimo, clavum regni appræhendens, illum de morte admonet patris; ad capescendum invitat diadema; Esthoniæ dissuadet abalienationem; ut àdhibitâ Polonorum operâ, Moschum ad pacem, cum Suecis promoveret ineundam; quodque ab hac illum cognosceret minus alienum, Commissarios in Russiam expedit.

MDXCIII. Bimas cum Suecis bellorum ferias, in Februario, Rutheni, nomine Finlandiæ & Esthoniæ, pangunt. 1593.

Carolus princeps subveritus, nè Poloni à rege Sigismundo, velut domino nunc Esthoniæ, diploma super ea extorquerent, si quod hujusmodi adveniret, prohibet arcium & urbium Castellanis, illi auscultare, tales intromittendo hospites.

Similiter admonnuit Finnones, quod submetueret, nè profugus ex Suecia comes Axelius, aliquod in eos dominium, à novo rege, minùs forsan rectè informato, sibi compararet, in regionis perniciem.

Quas propter inhibitiones, Rex patruum cœpit affectati suspectum regiminis clàm habere, & Finnones Esthonesque, sibi literis devincire. Quibus cum ad illos transmissus ex Polonia Johannes Sparrius, congregatos Abogiæ permovit, XIV. Martii, ad spondendam Regi obedientiam, & in hominum quoslibet rebellantium, fidam assistentiam.

Sigismundus, rex Sueciæ & Poloniæ, ac Livoniæ Esthoniæque dominus, veniâ Polonorum ad suscipiendum regnum hæreditarium, per mare velificans, XXX. Septembris, Stockholmiam appellit.

Civitas Abogensis, fortuito conflagrat incendio.

MDXCIV. Rex Sigismundus Upsaliæ, XIX. Februarii, Suetico ornatur diademate. Quandò spondet juramento & litteris Esthoniam à regno Sueciæ, non se abalienaturum; rebusque in ea, & tota patria, ut pro tempore licuit, dispositis, in Poloniam classe remeat. 1594.

MDXCV. Pax inter Suecos & Ruthenos, utrique nationi, & præsertim afflictissimis Finlandiæ ac Esthoniæ inhabitatoribus exoptatissima, Sigismundo rege, quem hostis, velut dominum Sueciæ & Poloniæ, maxime exhorreret, secundum Deum, autore & promotore, æquis conditionibus, XVIII. Maji, sancitur. 1595.

Ordines Sueciæ executioni juramentum Regis inaugurale mandaturi, & regni Gubernatorem designaturi, comitia in autumno celebrant Sudercopiæ. Quibus Finnones & Esthones, velut Regi adversantibus adesse, sicut & Synodo ante biennium Upsalensi, nullatenus voluerunt.

Claudius porrò Flemingius, Gubernator Finlandiæ, Caroli prin-

cipis, & Senatus Suecici non probans adversus Regem ausa, in officio, & subjectione, illius continet incolas.

1596. MDXCVI. Gustavus, Erici quondam in Suecia regis filius, non permissus à Flemingio ingredi Finlandiam, ubi mater non malè provisa, habitaret, cum illa Revaliæ colloquitur, miserabili sanè cum spectaculo.

Rex, per legatos cum patruo, & Senatu ob decreta expostulat Sudercopensia, & quod minùs competens datum esset responsum, illud cœpit gliscere incendium, quo hactenus per XXXII. annos, Suecia & Finlandia, plus aliis flagrarunt.

1597. MDXCVII. Claudius Flemingius, quod Carolinis, velut Regi adversis, nollet consentire ausis, timeretque propterea Ducis impressionem, exercitum habuit per Finlandiam in stationibus collocatum, ut illo hosti occurreret, & Regi, quandò in Suecos bellum esset moturus tanquam rebelles, succurreret.

Incolæ autem nonnihil onerati, & apud principem de illo conquesti, consiliumque nacti, ut armis correptis, eundem profligarent, in Ostrobothnia & Tavastia, suasioni obtemperant, in ipsum, & quoslibet Regis fautores, inhumaniter passim grassantes.

Quapropter Flemingius, in rebelles superiori anno exeunte, progressus, cum duobus millibus, & quingentis equitum, hoc ineunte, in Ostrobothnia, Tavastiaque, XI. millia seditiosorum cecìdit agricolarum, & residuos ità tranquillos reddidit.

Quorum tamen unus, instinctu in Suecia hostium, Flemingium; jaculo peremit magico, exspirantem, XIII. Maji, & in Ecclesia Finlandiæ Borgensi, quiescentem.

Dux morte Flemingii, & dispersione exercitus, velut acephali, animatus, armatusque, invadit Finlandiam, & capto Abogensium castro, in eoque nobilium plurimis, ceu regiæ faventibus causæ, ac simul classe regni recuperatâ, finitimaque regione pacatâ, non Wiburgensi, in qua regii captassent refugium, ovans velificat in Sueciam.

Quando Revaliensibus, & Esthonum reliquis, horribile minatur bellum, quòd per literas admoniti, ut decretis Sudercopensibus, Arbogensibus, & Stockholmensibus, velut ordinum alii, subscriberent; Sed â Rege prohibiti, constantes recusarent.

1598. MDXCVIII. Sigismundus rex, cum patruo graviter ob nuperam Finlandiæ infestationem expostulat, & bellum parat in illum, sectatoresque.

Quod etiam faciunt Esthones & Finnones, per Regem admoniti: Hi tamen prius arcem Carolinis extorserunt Abogensem.

Theodorus, Moschoviæ Dux, in fata concessit ultima, & Boritius Godenovius, imperium nullo jure invasit.

Finnones & Esthones, cognitâ Regis in Sueciam navigatione, non minus ornatâ, quàm armatâ, contendunt classe Stockholmiam. Quos Dux, convocatâ Uplandiæ plebecula, cogit redire.

Sed regiis posteâ literis, in Sueciam revocati, provinciam Ducis, in Ostrogothia Regem oppugnantis, vastandam invadere decreverunt. Cæterum pridiè à Rege prohibiti, quòd patruo jam esset reconciliatus, & jussi domum se conferre, mandato, difficulter tamen, obtemperarunt.

Post reditum verò per Regem, factis cum Duce pactis non fidentem; Se ad Polonos ex Suecia conferentem, & novum patruo bellum ibi molientem, denuo instigati, non segnius se prœlio accinxerunt.

runt. Quorum fuerunt ductores, Axelius Kurck, & Arvidus Ericius, viri genere nobiles.

MDXCIX. Carolus princeps, ut Finnones & Esthones, sibi redderet morigeros, illis bellum infert, insigniter se defendentibus, & hosti descensum ex classe prohibentibus. Sed demum victi, quòd tantum à Rege non accepissent subsidium, quantum fuisset promissum, Abogiæ, & Viburgi, has defensuri munitiones, ex fuga se collegerunt. 1599.

Illis tamen Dux potitus, in plerosque horum ibi captos gladio adimadvertit, & simul in Johannem, Claudii Flemingii filium, juvenem, culpæque minus affinem; tamen paterna sic facinora luentem. Porrò de cæsorum capitibus Abogiæ & Viburgi, ad spectaculum diu expositis, miranda quædam referuntur à nonnullis prodigia.

In Esthonia antem Dux, præter Narviam, illi à fautoribus deditam, nihil subdidit; Revalienses, & cæteros Esthonum admonuit quidem subjectionis.

Sed illorum magis exacerbatus, quam placatus responso, vindictam in tempus prorogavit commodius.

Atqui longè benignius ex Russia consequitur responsum, quò literis expeditis, Moschum ad fœdus secum in Polonum, velut hostem utriusque communem, amicè invitavit pangendum. Ideoque plurimum exhilaratus, ex Finlandia in Sueciam, anno exeunte, properavit.

MDC. Ordines Sueciæ in comitiis Lincopensibus, Sigismundo prorsus repudiato, filiisque, Carolum designant regem; primarios Sigismundi sectatores, morte plectunt, vel carcere; Sed Finnones mulctâ grandi pecuniariâ, & Esthonibus bellum denunciant. 1600.

Quamobrem novus Rex, probè armatus, progressu æstatis, Esthoniam versus navigat. Cujus territi adventu incolæ; nec minus infortunio Finnonum nupero; quodque nihil subsidii â Sigismundo expectarent, & foret ille exauguratus, Carolusque in Sueciæ regem, ac Esthoniæ dominum, inauguratus, pandunt huic urbes & arces, inprimisque Revaliensem, & Huitenstenensem, ac demum reliquas Esthoniæ universas.

Intereà Legati regis Caroli, Moschum convenientes, illum suo Domino amicum, & belli socium, adversus hostes faciunt. Qui solum ore, non mente, hoc spondens, dolis Gustavo, regis Erici filio, nuper ad se perducto, conatur persvadere, ut tanquam legitimus, Sueciæ, Finlandiæ & Esthoniæ hæres, eas armis occuparet Ruthenicis, dum Sigismundus & Carolus de iisdem modò certarent.

Cæterum intentio fuit Moschi, ut operâ Gustavi commodiùs, ità eas sibi subjugaret, & præcipuè Finlandiam, Esthoniamque.

MDCI. Esthoniâ rex Carolus, talis doli omninò ignarus, ad suam non difficulter obedientiam hactenus revocatâ, Livoniam invadit, ità vindicaturus cladem, quam Poloni ante biennium, Sueciæ intulissent, & regem compulsurus Sigismundum, ut æquioribus secum paciscatur conditionibus, quàm Sueciæ thronum reposcendo. 1601.

Regina maritum regem comitata Revaliam, Carolum Philippum Sudermanniæ ducem, ibi genuit, noctu inter XXII. & XXIII. Aprilis.

Pater interim Carolus victoriam prosequens, capit priori anno exeunte, Derpatum, & hoc ineunte, progredienteque, Parnaviam, Volmariam, Cochenhusium, Yxeliam, Amseliam, Vendam, Overpaliam, Salisium, Felinum, Kercholmiam, Laysium, & Rigam, obsidet.

Cæterum facilius, quam speravit, his Suecus potitus fuit munitionibus,

bus, propterea quod Poloni nullam hostis metuentes impressionem, arces & urbes, in Livonia minùs firmo haberent munita præsidio; Simul etiam, quòd in iis Lutherani Polonos, velut Catholicos, & Romanum promoventes dogma, aversarentur; proindeque Regem Lutheri partibus faventem, non ægrè susciperent.

Qui novorum votis subditorum non impigrè satisfecit, religionis exercitia Catholicæ, prorsus ex captis à se urbibus, illiusque sectatores, eliminans.

Rex Sigismundus verò, ut nuper à patruo Sueciâ erat privatus, ità modò Livoniâ, nolens privari, cum ingenti advolat illuc exercitu. Atque rex Carolus, adventu hostis non expectato, obsidionem solvit Rigensem; captas firmat arces & urbes præsidio, ac ineunte brumâ, cum uxore & liberis, itinere Regibus ante hunc diem insveto, per Bothniam contendit in Sueciam.

Poloni deinceps advenientes, Livoniæ se accingunt recuperationi, & Catholici passim dogmatis restitutioni. Ità bellum inter Svecos & Polonos de Livonia, Esthoniaque, fuit inchoatum, quod plus quàm XXVIII. annis imposterum, cum innumerabilium cæde hominum, & incolarum, accolarumque, nempè Finnonum, & Curlandorum, non modicâ simul clade, prô dolor! perduravit.

1602. MDCII. Sigismundus rex, armis Polonorum Suecis extorsit Livoniam, multis Sueonum in captivitatem indè abductis, quorum numero præcipui fuerunt, Carolus, regis Coroli filius naturalis, & Jacobus de la Gardie. In Esthonia verò Huitenstenum quoque cessit Polonis.

Sed cum Revaliensibus, Sigismundus per literas belligerat, magnoperè illis exprobrans, quòd ad Suecum, citra necessitatem, deficere non erubuissent.

Idem oblatam â patruo transactionem, ratione Sueciæ & Livoniæ, admittere non dignatur.

Musar, seu Mustasar, Ostrobothniæ, municipali donatur prærogativâ, quam olim quoque habuit, & ab insignibus regiæ familiæ hæreditariis, Wasa nominatur.

1603. MDCIII. Moschus, quòd nollet Gustavus Erichsonius, Catholicam cum Ruthenica, permutare fidem; patriam oppugnare; aliisque Tyranni molitionibus se accommodare, illum Jaroslaviæ detinet captivum.

Demetrius, Johannis Basilii filius, & Theodori frater, natu minor, hactenus ob insidias Boritii Godonovii, apud amicos, in quodam educatus clam cœnobio, atque Palatino commendatus, Sendomyriensi sub hoc nomine: hujus (cujus filiam esset ducturus uxorem) auxilio, & aliorum Polonorum, meditatur paternum recuperare solium.

1604. MDCIV. Poloni votis Demetrii, eâ præbent lege consensum, ut armis suis patriæ restitutus, Sigismundum quoque regem Sueciæ restitueret, & fidem in Russia Catholicam susciperet.

Sueci Huitenstenum impugnant, & grandem passi suorum cladem, indè migrant.

1605. MDCV. Carolus rex, damna suis illata sub arce nuper Huitenstenensi, vindicaturus, & Livoniam Polonis denuò erepturus, cum insigni eam incursat exercitu. Atque cum hoste Poloni sub Kercholmio congrediuntur; celebrioremque multò, quam sub Huitensteno, reportant ex illo, Livoniam ità deserente, victoriam.

Demetrius, ope Polonorum, in Russia etiam feliciter præliatur, qui, Boritio ibi superato, diadema capit paternum, thronumque, XXI. die Julii.

MDC-

MDCVI. Carolus Sueciæ rex, quod nuper à Polonis ex Livonia esset profligatus, magnoperè indignatur, hostique per literas interminatur, nisi quantocyus æquis secum conditionibus pacem concluderet, Turcas, & Tartaros, se illi adversarios objecturum. 1606.

Demetrius, nuptiarum solennia Mosquæ, cum filia Palatini Sendomyriensis, VIII. die Maji, celebrat; illique post septimanam trucidato, subrogatus quidam procerum Ruthenicorum, nomine Michaël Suschius, cum Sueco pangit fœdus in Polonos, & Kexholmiâ illi promissâ in pignus, in hostem obtinet copias auxiliares; quibus cum illuc Jacobus de la Gardie, fuit expeditus.

Sigismundus rex, domestico per sequens triennium bello distentus, in Russia & Livonia, non magnoperè profecit, Suecis utrobique propterea triumphantibus, & Polonos Ruthenosque, in illum sedulò instigantibus.

Gustavus Erichsonius, à novo Ruthenorum domino, Cassinum, velut liberiorem missus ad custodiam, ibi non diu supervixit.

MDCVII. Ille siquidem, XXII. Februarii, venenatâ, ut ferunt, potione, Cassini per Ruthenos propinatâ, interiit. 1607.

Carolus rex, coronâ, XV. Martii, redimitus, Livoniæ invigilandum expugnationi, Sigismundo bellis domi occupato, decernit.

Quam ideò armatus insigniter fuit ingressus, & inprimis Huitenstenium aggressus, illud capit, deditum mense Junio; Indeque Derpatum progressus, successum non habuit.

Idem consvetas Ruthenorum prohibiturus in Ostrobothniam excursiones, arcem construit in colliminio Cajanaburgensem.

MDCVIII. Suecus, per comitem Mansfeldensem, sui exercitus in Livonia ductorem, Polonis Felinum eripit, & diripit. 1608.

Deindè bellorum feriæ inter Suecos & Polonos, in Octobrem usque mensem prorogandæ decernuntur, Commissariique in Livoniam, de stabili pace, vel XIII. annorum induciis, tractaturi; ab utroque mittuntur Rege. Verum quòd Poloni querererentur, tempore induciarum à Suecis Dynamyndam, & Cochenhusium, esse fraudulenter expugnata, non successerunt.

Classis Sueonum, Rigensibus prohibitura commeatum, in ostio Dynæ substitit; In quam cives, ratibus secundo amne immissis incendiariis, quasdam ex illa naves combusserunt, aliæque infortunium metuentes simile, indè secesserunt.

MDCIX. Sigismundus rex pacem domi nactus, in Ruthenos & Livones, totum militiæ suæ convertit robur, apud hosque, præter alias non paucas munitiones, Parnaviam Suecis extorsit. Sed illi magis perculsi metu, Suschio in ordinem redacto, Uladislaum Sigismundi filium, sibi ducem elegerunt. 1609.

MDCX. Sigfridus ex Finlandia Helsingforsius, incomparabilis regni Suecici Astronomus, quod ab inimicis apud Regem vocatus esset in suspicionem factionis cum rege Sigismundo, & hujus in Finlandia occultis fautoribus, Oerebrogiæ, citra culpam, fuit graviter cruciatus. 1610.

Petrus Nicolavius, militarem suscepit expeditionem contra Polonos, in Livoniam, illamque minus fortunatam.

Jacobus de la Gardie, Suecorum in Russia ductor, pro Suschio contra Polonos de sceptro hactenus decertat Ruthenico. Verum XXIV Junii, à commilitonibus ad hostem perfide fugientibus, desertus, victusque, cum residuis numero trecentis, Novogardiæ captavit refugium.

Quod

Quod Suecis, incolæ cum Moſquenſibus tacitè colludentes, denegarunt; Sicut etiam reliquum ſalarium, & pignus Kexholmiam. Itaque conſilium ex Sueonia, & auxilium poſcunt, hybernaque interim Wiburgi apud Finlandos, ſibi deligunt.

Nec Sueones, licet cum Dano, Polono & Moſcho, impoſterum eſſet ſibi belligerandum, animos deſponderunt.

1611. MDCXI. Jacobus, cum ſubſidiariis ex Suecia copiis acceptis, in Ruſſiam ex Finlandia rediit, & Kexholmiâ expugnatâ, Novogardiam obſedit. Quam incolæ, XVII. Julii die, Suecis dediderunt, & Carolo, Suecici Regis filio, in dominum electo, ſe cum ducatu Novogardenſi univerſo, Sueciæ ſubmiſerunt, legatosque, principem quantocyus illuc adducturos, expediverunt.

Porrò antè Ducis adventum, Jacobus de la Gardie, totam conatur ſubjugare provinciam; Sed arcibus ſolum, & urbibus, in ea XII. potitur, quarum præcipuæ fuerunt, Novogardia, Ivanogrodium, Noteburgum, Kexholmia, Laduga, Jama, & Coporium.

Interim rex Carolus, in Suecia cum Dano ſub Calmarnia inprimis colluctatur; Deindè cum morte, à qua, velut hoſte quolibet violentiore, potentioreque, devictus Nycopiæ, XXX. Octobris die, animam exhalavit.

Princeps Guſtavus Adolphus, Caroli regis natu major filius, XVI. Novembris parenti ſucceſſor in throno Sueciæ, & magno ducatu Finlandiæ, dominioque Eſthoniæ, fuit deſignatus.

Commiſſarii verò in Livoniam, ante regis Caroli mortem, fuerunt ablegati; Ericus Georgii, & quidam Petrus Anderſonius, pacis in negotio cum Polono conſtituendæ. Cæterum illos ob natalium contempſit hoſtis obſcuritatem, in gratiam tamen patriæ, quòd eam Danus impugnaret, bello aliquandiu ſuperſedit Livonico rex Sigismundus.

1612. MDCXII. Novus propterea Sueonum rex, alam ex Livonia equitum, velut ibi minus neceſſariam, per Julium, Saxoniæ principem, contra Danos produxit.

Verum, initio veris, Legati Novogardenſium adveniunt Stockholmiam; qui VI. Aprilis, coram Rege & ordinibus perorantes, ſibi Carolum, Sudermanniæ ducem, poſtularunt. Negotii autem reſolutio, & principis in annum fuit prorogata ſequentem profectio.

1613. MDCXIII. Suecus cum Dano, amicam jungit dexteram, XXI. Januarii, & illo perfunctus bello, continuat Livonicum.

Idem, XXVIII. Junii die, Novogardenſium conſenſit poſtulationi, & legatos mox cum tali domum verſus feſtinantes, reſponſo ipſemet D. Carolus, ſub brumæ tempus ſubſequens, Wiburgi in Finlandia, tantiſper ſubſiſtere conſultum decrevit, dum quaslibet ſuæ præmittendas ſuſceptioni, cum Novogardenſibus abſolveret conditiones.

1614. MDCXIV. Princeps Carolus, ſubdolè ſecum à Novogardenſibus agi, hactenus liquidò animadvertens, in patriam revertitur.

Itaque cum totus Novogardenſium ducatus, ſe juramento, & vigore literarum firmiſſimo Suecorum Regi ſubdidiſſet, nonnullaque illius portio defeciſſet, armis decernunt ordines Oerebrogiæ, quantocyus eſſe recuperandam; & inprimis caſtrum Ogdogenſe; Quod rex ideò Guſtavus in Septembri expugnatum, ad ſuam revocat obedientiam.

1615. MDCXV. Similiter armis domare Pleſcoviam non ignaviter ſatagit, fruſtra tamen; Ideoque, XV. Octobris, deſerit obſidionem, & hye-

hyeme proximâ Finlandiam obluſtrat; quando M. Ericum, illius Epiſcopum, nobilitatis decorat prærogativâ.

Angli & Hollandi, à partibus controverſiæ ſequeſtres delecti, intereà reconciliandis Suecis, & Ruthenis, inſignem navant operam.

MDCXVI. Per eosdem ita fuit transactio inter Suecos & Ruthenos conſummata, ut illis ob ſubſidium, his contra Polonos latum, cederet Kexholmia, & Ivanogrodium, cum aliis ſimul arcibus, provinciisque, jure nunquam expiraturo impoſterum obtinenda. 1616.

Cæterum mei adverſarii nullatenus mecum tranſigere voluerunt; Siquidem, ut bonis tam mobilibus, quam immobilibus, non parvæ æſtimationis, mihi nullo ablatis titulo juris, ſecurius fruerentur, me apud regem Guſtavum fraudulenter inſimulaverint, tacitæ cum rege Sigismundo, in damnum patriæ machinationis. Hoc dolo nefariè machinantes mihi ſimul vitam eripere.

Ac licet diu multùmque causâ coram ſupremo diſcuſſâ judicio, crimini affi&to me non poſſent alligare; tamen captivus, cum uxore & liberis, initio brumæ ſævientis, navigio fui Cajanaborgum Finlandiæ transmiſſus; ubi annis XX. in tanta detinemur afflictione, quanta ſub Pharaone fuerunt in Ægypto, Iſraëlitæ olim oppreſſi, prout benevolè Lector, ex ſequentibus cognoſces paginis, quibus, cum tua venia inferam paucula ex innumeris.

In his porrò ærumnis, præſentem conſcripſi librum, cum reliquis non paucis numero meis opuſculis, quibus indignam plus decoravi patriam, illuſtravique, quàm ullus internorum, vel externorum hactenus ſcriptorum fecit, vel impoſterum eſt facturus.

MDCXVII. Nuperam juxta transactionem, de novo inter Finlandiam & Ruſſiam, limite deſignando inchoatur actio; quæ integro durat quadriennio, quod Rutheni adminiculo regis Sigismundi, bellum Sueco molientis, ablatas ditiones ſibi reſtitutum iri confidentes, illam fraudulenter procraſtinarent. 1617.

Ericus Harius, Oſtrobothniæ toparcha, & gener hujus, Helgo Jeſperſonius, centurio Cajanaburgenſis, obſcuro ſati genere, quibus traditus eram cuſtodiendus, nè manifeſtarem Regi ſcelera ipſorum liberatus, quæ mihi hactenus ex relatione vigilum innotuiſſent, ſubverebantur. Propterea, communicato cum meis in aula oſoribus conſilio, me, uxorem & liberos, morti fraudulenter procurandæ, deſtinantes, nos Calendis Octobr. ab hominum conſortio, in obſcurum & ſecretum, violenter protraxerunt carcerem; Ubi, quæ ab officialibus agerentur, nobis haud liceret videre; neminem integro fermè triennio, alloqui; nunquam auræ ſalubrioris gratiâ captandæ, foras prodire; nulli de auxilio ſcribere; vel ab aliquo litteras accipere; quæ nobis â Rege eſſent alimenta deputata, parciſſimè, & infideliſſimè inferebantur; inediâ, labore, frigore, fœtore cruciabamur quotidiè. Nec his ſolum vitæ noſtræ inſidiabantur, obliquè quodammodo; verum & directè, palamque, ſaxis & fuſtibus nos impetendo frequenter: Ità niſi Deus ſingulari nos providentiâ & clementiâ protexiſſet, vivi ex ea latronum ſpelunca, nullatenus evadere potuiſſemus.

MDCXVIII. Polonus bello cum Turca implicitus, in biennes cum Sueco inducias, menſe Novembri, non ægrè in Livonia conſenſit. 1618.

Intereà temporis, afflictiſſima Livonum natio, de cujus corio Sueci & Poloni multis, heu, nimium annis, colluſerunt, graviſſimo belli onere depoſito, ſuaviter reſpiravit, & ſtabilem indè pacem fruſtrà ſperavit.

1619. MDCXIX. Rutheni, cum Suecis doloſè pergunt agere, ſuper nova limitum inter utrumque regnum deſignatione.

1620. MDCXX. Nova & vetus in Oſtrobothnia Carleby, regni municipiis à rege Guſtavo, clementer adſcribuntur.

Suecus, cum induciæ cum Polono, ante biennium ſancitæ, principio brumæ expiraſſent, ſedulam aliquandiu navat operam novis, vel certè paci cum eodem faciendæ.

Cæterum actio inter Suecos & Ruthenos, ratione limitum, modò tandem concluditur.

1621. MDCXXI. Rex Guſtavus, repulſam apud Polonum, licet hic bello adhuc Turcico diſtineretur, fuit paſſus. Ideoque arma corripit, & Rigam Livoniæ, Calendis Auguſti, obſidet, quam incolæ, metu cuniculorum ſub ea actorum perculſi, XVI. Septembris die, illi dediderunt.

Victor deindè progreſſus, reſiduum Livoniæ, Polonis ſimiliter adimere, non ignaviter profectò ſatagit; etſi mars ſucceſſum inprimis minus conceſſerit benignum.

Liberi mei, nempè filius, & filia, ſvaſu meorum in aula hoſtium impio, per vim mihi auferuntur; quos minis, & blanditiis ſeducere, ut crimina in parentes, heu ſcelus! comminiſcerentur, nequicquam conantur.

1622. MDCXXII ineunte, Rex Guſtavus, per Finlandiam, & Bothniam utramque ex Livonia properat in Sueciam, cum regni Ordinibus, de bello in Livonia continuando, deliberaturus.

Carolus Philippus, Regis frater, & Sudermanniæ dux, Narviæ, XXV. Januarii, præcocibus nimium fatis, ex vita ſurripitur. Fortuna etiam reliquorum Sueonum, contra Polonos in Livonia nonnihil mutatur. Quæ neque blanda fuit Curlandis, hoc, & annis ſequentibus; cum de illorum corio non minus, quam ſimul Livonum, Sueci & Poloni decertarent.

Meo etiam corio inſidiantur officiales Cajanaburgici, quod antecesſorum edocti periculo, non ignorarent, me ſua in Regem annotare ſcelera. Quæ, licet captivus eſſem; tamen videre nullatenus posſem, ob fidelitatis juramentum regiæ majeſtati præſtitum.

Quapropter in abſentia centurionis, ſubcenturio, Johannes Vilm nomine, me furioſus ex carcere evocat, ad certamenque provocat inermem, ipſe cruentatâ armatus lanceâ. Sed illum, velut canem, mihi oblatrantem, contemptu repuli, ſicque abire compuli.

1623. MDCXXIII, Ipſemet centurio, eadem de cauſa, mihi caput ſecuri diſſindere conatur; quod, ſicut & alia non pauca hujusmodi, periculum evaſi, mirabiliter Dei protectus auxilio.

Cæterum illius anteceſſor, quamvis coram judicio eſſet provinciali, multorum accuſatus criminum, & legitimè convictus, mortique propterea adjudicatus; Tamen quod me, dum Cajanaburgi eſſet centurio, crudeliter tractaſſet, non ſolum vitâ donatur; ſed etiam priſtino reſtituitur officio, per meos in aula inimicos adjutus, ut crudelius deinceps, quàm anteà, mecum procederet, perderetque omninò. Verum incolumis, per ſingularem Dei clementiam, has quoque inſidias declinavi.

Oſores mei aulici, & meorum poſſeſſores bonorum iniquiſſimi, aliis adoriuntur telis, filium in Suecia meum, utpotè quem volebant

per-

perditum, nè temporis progressu, ob injuriam parentibus irrogatam, de iis sumeret vindictam, & velut hæres legitimus, sua jure bona reposceret, reciperetque. Proindè talia ut effugeret pericula, in Poloniam miser ephebus ad aviam materteramque profugit.

MDCXXIV. Novus centurio, ex aula Cajanaburgum venit, à meis ideò promotus huc persecutoribus, ut, cum sævissimus omnium foret hominum, me, & uxorem, sine ulla captivis exhiberi solita per homines clementia, quibus posset modis, ad ipsam usque mortem cruciaret. 1624.

Idem subcenturionem, seu vicarium, in absentia habuit talem, ut fermè illi connaturalis videretur. Nec ullus hominum auderet nobis, non mitius, quam mancipia tractatis Egyptiaca, subvenire, præter ditionis parochos Cajanaburgicæ dominos, Mansvetum Jacobi, Matthiam, & ejus Sacellanum, dominum Samuelem, aliosque numero paucos. Quibus beneficia, omnium largissimus bonorum remunerator Deus, certò compensabit, & ego, meique, illis non ingrati tempore oportuniore, inveniemur.

Hactenus verò post mei abitum filii, hostis in aula miros de me triumphos, sibi immaginans, me conscium fugæ, clamitat; conspirationis cum Polono, hinc reum me convinci, & dubio procul literas per filium proditorias scripsisse, indeque vicissim, & aliundè, non paucas accepisse, quæ, vel illarum exemplar apud me, si fieret de iis inquisitio, fortè invenirentur.

His, & similibus persvasus argumentis magistratus, inquisitioni consensit Hispanicæ, & ipsâ rigidissimè peractâ, quòd nihil aliud, quam quod honestum foret, inventum esset, delatoribus fortè succensuit.

Porrò filius, talem mihi motam intelligens controversiam, nè suâ causa diutius periclitarer, in Sveciam citus advolat; Qui protinus cum gaudio hostium apprehensus, incarceratus, & compeditus, per biennium inhumanissimè crudelissimeque vexatur, ut crimina in proprios, ô impietatem! confingeret parentes.

MDCXXV. Cum machinatio non procederet talis in aula, pro votis inimicorum, in ipso me carcere trucidaturus centurio, quòd solum alimenta vitæ necessaria poscerem, velut bestia advolat furibunda; Sed per clausam probè à nobis januam, non intromissus, per fenestras & valvas, simili autem successu, penetrare conatur. Itaque quòd apertâ non licuit vi perficere scelus, fraude moliens occultâ exequi, ad aulamqne proficiscens, variis me onerat insontem criminibus; Ibi tamen nihil impetrat, Deo me clementer protegente, & magistratu dolos illius animadvertente. 1625.

M. Ericus, Finlandiæ Antistes, cum hactenus XLV. in cathedra sedisset Abogensi annis, illi, mundoque per mortem valedixit, & successorem deinceps nanciscitur quendam, M. Isacum, Nycopiæ anteà parochum.

MDCXXVI. Quidam Sueno Mansonius, qui humili ortus genere, nullo artium liberalium, vel civilium adminiculo, sed cæcutientis beneficio fortunæ, Castellanus inprimis evasit Stockholmensis, & posteà Wiburgensis, hoc ineunte anno, in castro Savolaciæ novo, miseram, subitâ morte, animam proflavit, injuriæ multis diu illatæ, rigidam Deo rationem facturus. 1626.

Verum initio æstatis, filius meus Arnoldus, cum maxima tempo-

po-

poris, & ſtudiorum ſuorum jactura Kexholmiam, velut ad carcerem miſſus diuturniorem, & clementer à Caſtellano, Henrico Manſonio ſuſceptus, habitusque, ultra XI. annos, in cuſtodia ibi permanſit.

Finlandia, XIII. Junii die illuceſcente, fuit horribili concuſſa terræ motu, indeque non modica terræ portio, in parochia ſubſidens Joana, lacui ſic ibidem exorto præbuit occaſionem.

1627. MDCXXVII. In Livoinenſi ejusdem paræciæ villa, XIX. Aprilis, circa horam â meridie quartam, copioſus admodum pluit ſanguis, vereorque ne ſanguinis humani, ibi, alibique in Finlandia, ab hoſte forſan effundendi (quod tamen Deus clementer avertere dignetur) portendat ſanè profluvium.

Ericus Harius, Tavaſtahuſenſis modò Caſtellanus, tali extinguitur morte, qualis decet illos, qui dæmonis ope, ad honores tranſcendunt, & in illis cum maxima ſubditorum injuria hominum, ſe, cauſamque defendunt ſuam iniquiſſimam, prout ille hominum infeliciſſimus diu fecerat.

1628. MDCXXVIII. ineunte, & ſuperiori exeunte, Poloni, cum auxiliaribus ex Hiſpania, & Germania copiis, ſibi nuper ſubmiſſis, contra Suecos in Livonia victorioſè, ut dicitur, graſſantur.

Nec mitius ignis Viburgum, in feriis Pentecoſtes, fuit populatus, oppidum, non caſtrum, in favillas redigens.

Detentus adhuc in captivitate mea Cajanaburgenſi, ignarus rerum omnium hoc anno geſtarum, & proinde harum Ephemeridum ſit finis XVI. Octobris, Deoque ſit laus in æternum, is me liberet ex hoc miſerrimo ergaſtulo, propter ſuam immenſam bonitatem, qui ſcrutans cor & renes novit meam innocentiam, isque ſuo tempore vindictam de meis inimicis ſumpturus condignam, quorum molitione huc translatus, & malè tractatus fueram

Johannes Meſſenius.